



tio.
Solitar
ani



דקדוקא דלשן ארמי׃

Inſtitutiones linguæ Syriacæ, Aſſyriacæ atque Thalmudicæ, vnà cum AEthiopicæ, atque Arabicæ collatione.

Addita eſt ad calcem, Noui Teſtamenti multorum locorum hiſtorica enarratio.

Opus non Chriſtianis modò, qui ſeriò in ſacris literis verſari cupiunt neceſſarium : ſed omnibus etiam, qui rerum origines ſcrutantur apprimè vtile.

Angelo Caninio Anglarenſi authore.



PARISIIS.

Apud Carolum Stephanum, Typographũ Regium.

M. D. LIIII.

Cum priuilegio Regis.

AMPLISSIMO DOMINO, ET REVE-
rendò patri, D. Guilielmo à Prato, Episcopo Clarmontano, Patrono suo multis nominibus obseruãdo, Angelus Caninius Anglarensis S. D.



A EST, amplissime Antistes, tui erga bonos & studiosos omneis animi propensio, ac benemerendi voluntas, ea in multos beneficentia, is demum rerum diuinarũ amor: vt, tametsi nulla in me tua extarent merita, te tamen tacito quodam animi sensu amaturus fuerim, atque veneraturus. Nunc verò cùm tibi tantum debeam, quantum, vbi à parentibus discesserim, nemini: ingratus sanè sim, atque ab omni prorsus humanitate alienus, nisi tibi, si non gratiæ relatione (quod nec meæ facultates ferunt, nec tua fortuna desiderat) memoris certè obnoxiǽque voluntatis significatione aliqua ex parte respondeam. Quid enim splendidius aut magnificẽtius excogitari potest tua erga me beneuolentia atque benignitate, hominem peregrinum, quémque vix semel, aut iterum videras? Cùm enim ex Hispaniis vnà cum integerrimo viro, verbíque diuini disertissimo atque fidelissimo ministro Simone Guichardo Minimorum maximo, in Galliam bonarum literarùm omniũ altricem rediissem, atque in Aruernia, loci amœnitate, & Simonis amantissimis verbis inuitatus mẽ seis aliquot mecum esse statuissem: Belliregardi, quod tuæ ditionis oppidum est μουσικώτατον, vbi ornatissimum templum extruendum curas, ambo consedimus. Ibi narrare mihi Simo humanitatem tuã in omneis, in religiosos ac doctos merita celebrare quotidie solebat. Vt prætercam parentis tui viri clarissimi, totíque Galliæ semper memorabilis summam prudentiam & virtutem, honoréſque amplissimos. Quæ omnia ad te quasi iure hæreditario peruenerint. Verùm omnia opinione maiora mox in te expertus sum, cùm me humanissimè complexus fueris, consilióque ac re iuueris. Quid singula persequar? Cùm Lutetiam venire in animo esset, quàm mihi liberaliter prospexeris, quantò res meas diligentius atque amantius, quàm ego ipse, curaueris? Nam cùm in itinere morbo ancipiti implicitus fuissem, viatico penè exhausto, in hanc vrbem ignarus hominúmque locorúmque tandem correpsi, vbi literis tuis commendatitiis hospitium mihi, aliáque

omnia neceſſaria præbita ſunt. Ac deinceps nunquam tuam benignitatem ſenſi in me claudier. Cùm itaque mecum ipſe diſpicerem, qua ratione animi erga te mei ſpecimen aliquod darem, vt te indignum munuſculum non eſſet: commodùm in mẽtem venit lucubrationum quarundam, quas in linguam Syriacam atque Thalmudicam magno ac diuturno labore conſcripſeram. Quod argumentum non dedecere Epiſcopum arbitrati ſumus, eúmque Epiſcopum, qui Chriſti eccleſiã, quam multi hodie oppugnant vehementiſſimè, auctam atque ornatam cupiat. Tibi itaque, Antiſtes præſtantiſſime, hoc muneris, quantulumcunque eſt, libẽter deferimus, vt nos noſtráque omnia tibi in perpetuum addiximus. Vale. Lutetiæ è collegio Italorum. 1553.

[illegible]

QVEMADMODVM *inter virtutes atque optimas disciplinas magnam esse concordiã philosophi ostendunt, nemo vt perfectè vnam tenere possit, nisi in omnibus fuerit sedulò versatus:* Sic in *ipsis* Linguis, *quæ disciplinarũ quasi ancillæ sunt atq; administræ, mirifica planè similitudo atque cognatio cernitur.* Quam qui accu*ratè non obseruant, ii nunquam veram loquendi, atque adeò intelligendi rationem inire poterunt.* Nos itaque, *vt in linguis peregrinis, quarum cognitio nostro seculo perutilis est, ne dicam necessariam, id perspicuè explicaremus, de quatuor dialectorũ ratione paucis agere constituimus.* Nã *quomodo* Græcæ *linguæ dialecti multæ ac variæ sunt, inter se tamen cognatæ: sic linguarum peregrinarũ fons atque origo est* Hebraica, *cuius dialecti sunt,* Syriaca, Arabica, *atq;* AE*thiopica, omnium citra controuersiam vetustissimæ.* Quæ *omnes, si recta methodo tradantur, multò facilius cognosci possunt, quàm vna* Græca *cum suis dialectis.* Quod *aliquando, si* Christus *permiserit, planum facturi sumus.* Sunt *enim tres linguæ in orbe principes,* Hebraica, Græca, & Latina. Quarum *singulæ tetrade constant.* Nam Hebræa Syriacam, Arabicam *atque* AEthiopicam *cõplectitur, quæ magis literarum figuris, quàm reipsa discrepãt.* Græ*ca in quatuor illas nobilissimas distribuitur,* Atticam, Ionicam, Do*ricam atque* Æolicam. Sic Latina *treis alias sibi asciscit,* Italicam, Gallicam, *atque* Hispanicam. Hic *tetradem in* Triade *nemo non videt, è quibus hebdomas & sabbatum quietis conficitur.* Hinc *sacrosanctæ crucis titulus* Hebraicè, Græcè, & Latinè *scriptus.* Præ*tereà quicquid vspiam bonorum librorum extat, his linguis comprehensum est.* Sed *nos de* Syriaca *præcipuè agemus, quæ* Chaldaica & Babylonica *interdum dicitur.* Eæ *vetustate tãtùm differunt.* Ba*bylonica enim, quæ* Aramæa, *vel* Mesopotamica, *aut etiam* Assy*riaca nominatur, antiquissima est.* Ea *locutus est* Laban: (Nã Abra

ham in Chaldæa *habitaſſe, ſed* Hebraicè *locutum eſſe vetuſtiſſimi* Hebræorum *doctores autumant) quam* Daniel *cum ſociis ſuis didicit, atque in vaticiniis vſurpauit.* Eſras *quoque,* Onchelos, & Ionathan *ea vſi ſunt, ſed non adeò eleganter duo poſteriores.* Cæterùm Syriaca *non multò ante* Chriſti *ætatẽ florere cœpit.* In *quam* Aquila *proſelytus,* Ioſeph *cæcus, aliíque* Hagiographorum *paraphraſtæ libros aliquot veteris* Teſtamenti *conuerterunt.* Qua *demum* Chriſtus & Apoſtoli *lætiſſimum* Euangelii *nuncium, nempe* בְּסוֹרְתָא, *Orbi tulerunt.* Haud *magnum tamen inter hanc illámque diſcrimen animaduertas, niſi quòd illa purior, hæc copioſior, aſcitis ſcilicet multis è* Græca *vocabulis.* Id *quod ex* Hebræorum *antiquitatibus colligi facilè poteſt.* Cùm *enim populus* Iudaicus *in* Babyloniam *ab hoſtibus abductus, ibíque ſeptuaginta annorum acerbiſſimo exilio oppreſſus fuiſſet: paulatim linguã* Hebraicam *dediſcere cœpit, ſenibus iam fato defunctis, & pueris linguam* Babylonicã *imbibentibus.* Porrò *exulum multitudo, vt* Ioſephus Antiq. *lib.* 18. *cap.* 12. & Thalmudici *doctores narrant, vrbem ad* Eufratis *ripam condidere, quam* ἐπιχωρίῳ *voce* נְהַר דְּעָא Neardam, *quod eſt flumen doctrinæ, appellarunt, ſynagogis extructis atque academiis.* Vbi *verò ab* Artaxerſe *facta eſt omnibus, qui vellent, redeundi in* Iudæam *poteſtas: multi, pii præſertim ac tenues, ducibus* Zorobabelo & Nehemia *in* Syriam *reuerſi ſunt, &* Ieroſolymorum *mœnia fanúmque, quæ ſolo æquauerant* Aſſyrii, *rediuiuo lapide refecerũt.* Non *tamen exhauſta eſt ciuibus* Nearda, *qui longo pòſt tempore* Thalmud Babylonicum *ediderũt.* Cæteri *autẽ, quos in* Iudæã Zorobabelus *reduxerat,* Ieroſolymis *ſcholas multas inſtituere,* Thalmúdque Ieſolymitanum *euulgarunt: nempe ea lingua, quã ab exilio reportauerant, quæ* Græca *multa, & quædam* Latina *verba recepit, vt oſtenſuri ſumus in* Lexico, *quod* Locupletiſſimum *paramus:* Soli *enim docti, vt* Scribæ, Phariſæi, *legíſque doctores,* Hebraicè *ſciebant, plebs* Syriacè *tantùm.* Quomodo *ante exiliũ pauci*

linguam Syriacam tenebant, Hebraicam omnes. Quod è verbis Rabsacæ, Esa.36. dilucidè perspicitur. Quò factũ est, vt quod Syriacè loquebatur Christus, Euãgelistæ Hebraicum esse scripserint, quoniam illa lingua vtebantur Hebræi post exilium. Vt sermonem huius ætatis Gallorum, linguam Gallicã vocitamus, cùm tamen à Gallica illa veteri plurimùm distet. Alioqui dicat Gallus aliquis è plebe, quid sit Gæsum, quid Materis, aliáq; eiusmodi: quæ cùm Gallica sint, nemo nisi Latinè doctus intelligit. Quinetiã affirmare ausim, quæ in hac lingua ante quingẽtos sexcentósue annos, si qua modò supersunt, scripta sunt, à paucissimis Gallis, iisdémque doctissimis intelligi. Christus itaque Syriacè loquebatur, vt ab omnibus intelligi posset: quemadmodũ Ecclesiastæ christiani lingua Italica, Gallicáue, aut alia vernacula vtuntur ad plebẽ: non Latina, quam docti tãtùm callent. Nos porrò cùm post Latinam, Græcámque, ad Hebraicã animũ appulissemus, eámque absque Syriaca perfectè cognosci non posse videremus: cœpimus paraphrases omnes Chaldaicas, quas Thargumin vocant, & ingentem illã molẽ Thalmudicã diligenter euoluere: in qua superiore anno accuratè versati sumus, cùm eorum voluminum inspiciẽdorum copiam fecisset in Sorbonica bibliotheca doctissimus vir, summúsque Theologus Frãciscus Iouerius Valẽtinus. Sumus etiã aliquantũ adiuti opera Munsteri, viri docti atq; industrii: de quo nihil aliud dicã, nisi neminẽ hactenus ex eius Grammatica hanc linguã intelligere rectè potuisse, vt confidam me hunc laborem non frustrà suscepisse. Ne quis mihi illud de triuio arreptum ogganniat, facile esse inuentis addere. Nam in Grammaticis nemo quicquam inuenit, sed pro sua quisque diligẽtia atque intelligentia obseruat loquendi rationẽ. Quid enim de Munsteri opere vir eruditissimus Franciscus Vatablus (vt vnum, qui multorum instar est, præcipuè laudem) senserit, plurimi adhuc, qui illum audiuere, testari possunt. Nec id dicimus, quò Munsteri existimationem violemus, sed vt quibusdam os obstruamus, qui senten-

tiam, quanquam in consilium non missi, inconsideratè ferunt. Sed quid miramur pleraque fugisse Munsterum, qui, vt ipse de se ingenuè fatetur, seipso præceptore vsus est: cùm doctissimos Hebræorum Rabbinos manifestè errasse deprehendamus? Salomonem in תַּחַת *apud Esram, quod passiuè interpretatur: Aben Esram in* שֵׁגְלָתֵהּ *in Daniele, quod pro singulari accipit. Postremò celeberrimum Gaon, γλωσσογράφον ve R. Saadiam, qui* כָּל *à* יְכַל *deriuat, &* נֶבְרַשְׁתָּא *,* נֵר בַּר שַׁתָּא *non minus ridiculè, quàm falsò exponit. Nos quid præstiterimus, facilè constabit prudentibus ratio, si vel Danielem Esrámue contulerint, aut etiam paraphrastas, sed seruata punctorum, quam tradimus, analogia. Conati enim sumus, vt qui vel mediocriter in lingua Hebraica versatus fuerit, suo ipse marte, si nostra diligēter legerit, intra paucos menseis Syriacam addiscere possit. Id quàm commodè à* [redacted] *tractatū sit, nemo non videt. Præterea addidimus obseruationes Thalmudicas, à nemine hactenus mortali editas. Cæterùm, quod ad puncta attinet, Masoritarum vestigiis institimus, qui soli veram analogiam, sed obscurissimè tradunt. Porrò in cōsilium adhibuimus doctissimorum Christianorum & Iudæorum iudicium, multorum codicum collationem, & postremò aliquot annorum laborem: vt multa interim perpetua meditatio, & prælegendi exercitatio me docuerint. omnia itaque τῷ χρόνῳ ἀνατίθεμεν, & prudentum virorum iudicio.*



בְּסַעְדָא דְיֵשׁוּעַ מְשִׁיחָא׃



ITERAE, quibus Hebræi Chaldæíque vtuntur, viginti duæ ſunt, figura diſſimiles, vi ac ſono eædem. Nos Danielis, Eſræ, Thalmudicorúmque Doctorum conſilium atque authoritatem ſecuti, quò res planior ſit, Hebraicis erimus contenti characteribus. Quorum ſignificatum exponere, quod perfectè hactenus fecit nemo, haud equidem ab re fore exiſtimo. Euſebius enim, cui (vt res ipſa loquitur) Iudæus aliquis impoſuit, venia dignus eſt. Ignoſcendum etiam Hieronymo, qui Euſebium imitatus, eadem tradidit. Nos quantum è lingua Hebraica atque Chaldaica intelligere potuimus, hanc ſimplicem collegimus interpretationem.

He	Daleth	Gimal	Beth	Aleph
ה	ד	ג	ב	א
Vermis punici	Oſtium	Camelus	Domus	Bos

Teth	Heth	Zain	Vau
ט	ח	ז	ו
Inuolucrum	Quadrupes	Telum	Clauus aduncus

Samech	Nun	Mem	Lamed	Chaph	Iod
ס	נ ן	מ ם	ל	כ ך	י
Baſis	Piſcis	Macula	Stimulus	Palma	Manus

Thau.	Scin	Res	Coph	Sadi	Peh	Aain
ת׃	ש	ר	ק	צ ץ	פ ף	ע
Crux.	Dens	Caput	Simius	Hamus	Os	Fons

Nomina literarum Chaldaica potius videntur, quàm Hebraicæ, vt oſtendunt ריש, נימל, שין: quæ Hebraicè dicerentur ראש, גְּמַל, שֵׁן. Id quod etiam vſus Thalmudicorum docet, qui ſcribūt אַלְפָּא, בֵּיתָא, cæteráque eodem modo cum א in fine, quod linguæ Chaldaicæ, vt explanabimus, peculiare eſt. Porrò quod ad ſignificatum attinet, facilis & naturæ conſentanea ratio eſt. Vt enim AEgyptii variis animantium rerúmque ſimulacris natura artéue conſtantium orationem ſuam explicabant: ſic Hebræi, quorum lingua & origo longè eſt AEgyptiis antiquior, pro literarum figuris res aliquot notas ac luculentas acutiſſimè imitati ſunt, calamóque adumbrarunt. Quod vel Aſtronomi ipſi factitant, apud quos notis quibuſdam Planetæ & Zodia referuntur.

Hebræi noſtræ ætatis malè pronunciant ſcin pro שֵׁן ſcen, gimel pro גְּמַל gemal. Beth, cheth, teth, vel in regimine ſunt, vel aleph in fine deſiderant.

De Punctis Vocalibus.

Elementa vocalia in linguis omnibus decem ſunt, nempe breuia quinque, longa totidem: literæ, præter quàm Hebraica, pauciores: ſeptem in Græca, quinque in Latina, tres in Arabica. AEthiopica enim vocales non ſeparat à conſonātibus. Quod hoc breui diagrammate expoſitū eſt, ſi mentis aciem contēderis: ídque cum vera orthographia, etymóque. nam ſunt nomina Syriaca.

פַּתַח	Pathá	ַ,	α,	ă:	אַחַת,	κᾰκᾰ,	păter.	Apertor.
קָמֵץ	Camés	ָ,	ᾱ,	ā:	דָּבָר,	κᾱλός,	māter.	Cōtractor.
סְגוֹל	Segól	ֶ,	ε,	ĕ:	מֶלֶךְ,	φέρε,	mĕtus.	Botrus.
צֵירֵי	Ziré	ֵ,	η,	ē:	תֵּבֵל,	ἥρως,	dēuius.	Cardines.
חִירֶק	Hirec paruū	אִ,	ι,	ĭ,	פִּקֵד,	φῐλος,	lino.	Frendor.
	Hirec magnū	אִי,	ῑ,	ī:	כִּילַי,	χῖος,	filum.	Frendor.

Camés hatúph ֳ, ο, ŏ: קָדְשׁוֹ, κόπος, pŏlus. Cōtractor raptus.
חוֹלֶם Holém א, ω, ō: קֹדֶשׁ, κωφός, pōtus. Perfector.
קִבּוּץ Quibbús ֻ, ῠ, ŭ: כֻּלּוֹ, φῠσις, cŭtis. Collectio.
שׁוּרֶק Surec וּ, ῡ, ū. טוּר, φῦλον, mūnus. Sibilus.

Diphthongi sunt sex.

אי αι, æ, אֶפְרַיִם, ἐφραΐμ, aulai, יְהוּדִי, ἰουδαῖος.
או αυ, au, עוּץ, αὐσῖτις, נוּן ναῦν.
אי ει, שְׂרָפִים σεραφείμ.
או ευ, תּוֹדָא θευδᾶ, Theudá.
וי οι, œ, גּוֹי.
או ου, תּוּבַל, θουβάλ.

Sceua : apud antiquos non facit syllabam. AEquum.
Hateph patha, hateph segol, & hateph cames retinent syllabam, & proprie τοῖς אחהע conueniunt.

De Analogia Punctorum vocalium.

Analogia quædam est inter puncta Hebraica atque Chaldaica, quomodo in Græcorum dialectis nonnullæ vocales mutantur:
Pathá nonnunquam in sire, טְעֵם טַעַם, בְּעֵל, בַּעַל
Cames initio in sceuá, בְּשַׂר בָּשָׂר, ὕαλος, ὕελος.
In Patha, קַדִּישׁ קָדוֹשׁ, עָלַם עוֹלָם
In hirec paruum, לִשָּׁן, לָשׁוֹן
Hirec paruum initio in pathá, מַגְדַּל מִגְדָּל, מַרְיָם מִרְיָם
רַבִּי רִבִּי, מַדְיָן מִדְיָן :
Hirec magnum in fine in ֶ, יְהוּדֵי יְהוּדִי, מִצְרֵי מִצְרִי
Vau surec in hirec gadol, כְּתִיב כָּתוּב
Holem in cames, אָמַר אוֹמֵר, אֱנָשׁ אֱנוֹשׁ, μουσῶν, μουσᾶν,
& in sire, רֵאשׁ רֹאשׁ, אֵמַר אֹמַר. Non temere tamen, nec semper locum habet hæc mutatio.

Literarum Potestas.

Tantam in literis quibusdam vim inesse putat diui-

narum humanarúmque rerum perſpicaciſſimus indagator Plato, vt ex iis rei naturam facilè colligi poſſe arbitretur. Cùm enim multa alia doctiſſimè diſputantem in Cratylo Socratem faciat, inter cætera de literis nonnullis ſic loquitur, τὸ ῥ τῇ φορᾷ καὶ κινήσει ὃ σκληρότητι προσέοικεν. Et mox, τὸ λ τῷ λείῳ καὶ μαλακῷ ἔοικεν. Quãtam ergo Hebraicarum & Chaldaicarum literarũ vim ac poteſtatem eſſe putandum éſt? Quanquam omnium linguarum eadem propemodùm ſunt elementa, literæ diſſimiles. Mirifica tamen ac penè diuina eſt in primis Hebraicarum, tum Chaldaicarum vis ac methodus literarum. Qua penitus perſpecta ratione, quod adeò operoſum non eſt, facilis ſternetur via ad cætera intelligenda.

Verùm priuſquàm ad id aggredior, oſtendendum eſt paucis, qua arte tractandæ, quáque ratione explicandæ ſint linguæ peregrinæ: de Hebræa, Chaldæa, Arabica atque AEthiopica loquor. Cæteræ enim, præter Græcam atque Latinam, ſtudio hominis prudentis dignæ non ſunt. Ea igitur ratio ferè tota in literarum quarundam non fortuita, ſed naturali mutatione poſita eſt. Vt enim variæ ſunt hominum ac ſeiũctæ pro regionum ſitu cælíque temperie tum corporum tum animorum conſtitutiones atque naturæ: ſic longè diſſimilis eſt ſingularũ nationum pronunciandi conſuetudo. Hinc nata eſt nobiliſſima illa Græci ſermonis τετρὰς, Attici, Dorienſis, Ionici atque AEolici: cùm ſingulæ gentes eadem verba mutatis literis quibuſdam non eodem modo proferrét. Hinc etiam ſuperiores illæ quatuor Dialecti pendent, cùm verborum quaſi materiem ac ſupellectilem eandem habeant, varia tamen literarum quarundam pro-

nũciatione longè diuerſæ eſſe videntur: cùm tamẽ, præter literarum diſſimilitudinem, inter ſe maximè conueniant. Sed nec literæ quælibet, nec paſſim, nec vtcunque mutantur: eſt enim certa quædam & cõſtans ratio, vt eæ tantùm, quæ ſoni ac naturæ ſimilitudine conſentiunt (quod nemo niſi Hebraicè doctus intelligere poteſt) inter ſe mutuò varĩetur. Id quod exemplis aliquot declarabimus, Hebraicis primùm & Chaldaicis, tũ Græcis ac Latinis: nec interim Italica, Gallica, Hiſpanicáque aſpernabimur, quæ ad Latinam linguam referenda maxima ex parte ſunt. Quod eò libẽtius fecimus, vt noſtri homines illarum linguarum vtilitatem intelligant.

Mutatio literarum.

יהוא, viciſſim, מְנֵא, מְנָה, מַנִי, מַנִיו, quæ vna eſt radix. κάναστρον, caniſtrum. θρίαμβος, triumphus. θεός, σιός. talis, *tel.* charus, *cher.* Deus, *Dio.* Sella, *ſilla.* denarius, *dinero.*

Beth in Pé, בַּרְזֶל, פַּרְזֶל. βρέμω, fremo. ſibilare, *ſiffler.*

Dalet in Teth, דְּבָה, טְבָא. Iod, ἰῶτα.

Zain in dalethraphè, זְהַב, דְּהַב. μᾶζα, μᾶδδα.

Lamed in res, אַלְמָנָה, אַרְמְלָא: κλίβανος, κρίβανος. luſciniola, *roſſignol, ruyſen or.* vlulare, *vrlare.*

Mem in fine tantùm in Nun, טוֹבִים, טָבִין, alumen, *alun.* racemus, *raiſin.* damnum, *danno.*

Samech in Zain, סָר, זָר, σμάραγδος, ζμάραγδος.

Pè in Béth, נָשַׁף נָשֵׁב. πύργος, *burgus.* caput, *cabo.* fremitus, *bramido.*

Sade in Aain, אֶרֶץ אֲרַע, צֶמֶר עֲמַר.

In Teth, קַיִץ, קַיִט

Sin in Thau raphatum, שָׁלֹשׁ, תְּלָת. ἀγαθός, ἀγασός.

In Teth, קָשַׁר, קְטַר

Thau in Teth, תָּעָה, טְעָא. χιτών, κιθών.

Est tamen animaduertendum in Thalmud præter has literas, mutari Heth & Ain, vel potius abſorberi: quòd earum pronunciatio aſpera nimis atque velut ſpumoſa videatur.

Heth abſorbetur ab Aleph, cuius aliquando nullũ apparet veſtigium, תַּחַת, תְּאתָא, vel תַּחָא, שַׁחַת שְׁתָא

Ain mutatur in Aleph, עֲרַע, אֲרַע, זְרַע, זְרָא.

Et abſorbetur à Iod, קְטוּעַ, קְטִי, פְּשַׁע, פְּסִי.

Aliquando cadit omnino, שְׁבַע שֵׁב

Sed non eſt omittendum, aliquando ad mutationem accedere metatheſin, hoc modo,

Res	poſt Ain,	תְּרַע שַׁעַר,	pro תְּעַר.
Coph	poſt Sadi,	עָק קָץ,	pro קָע.
Caph	poſt Res,	רְכְבִּין בִּרְכַּיִם,	pro בִּרְכִין.
Thau	poſt Caph,	נְכַת נָשַׁךְ,	pro נְתַךְ.
Lamed	poſt Coph,	חֲקַל חֵלֶק,	pro חֲלַק

Id euphoniæ gratia factum eſſe, nemo non ſentit.

Poſtremò illud obſeruandum, in Thalmud vltimas literas κατ' ἀποκοπὴν ſæpe tolli, quod in vſitatiſſimis quibuſque peculiariter fieri ſolet: quæ vt vaſa, aſſiduo vſu atteruntur.

בֵּי pro בֵּית.

אֵימָא pro אֱמַר dicito,

אוֹקִי pro אוֹקִים conſtituit.

Hæc ratio ſi in lingua Italica, Gallica atque Hiſpanica obſeruetur, præter voces aliquot peregrinas, iudicio adhibito, facile erit eas in antiquam cum Latina reducere concordiam.

Nunc reliquum eſt, vt literarum ſingularũ vires atque officia quàm accuratiſſimè exponamus, quò planius legi atq; intelligi poſſint, quæ de verbis & nominibus in-

frà dicturi ſumus. Ac primùm, vt ea prætereamus, quæ diligenter Hebræorum Grammatici de literis tradunt, quæ ad rem noſtram parum faciunt, & peti ab illis facile poſſunt, literarum vnam modò diuiſionem ſequemur, quæ præcipua eſt.

Diuiſio litterarum.

È literis Chaldaicis quædam vocantur אַתְוָתָא רְעִקָּרָא, quædã מְשַׁמְּשָׁן, hoc eſt, partim literæ radicis, partim miniſtræ: quòd illæ radici ſuæ Thematíue perpetuò hæreant, hæ illis ancillentur.

Thematicæ in Daniele & Thargumin vndecim ſunt, גזח טס עפץ קרש: In Thalmud decem tãtum, nam coph ſerua eſt. Miniſtræ vndecim, אבד כלה תמ יון. In Thalmud accedente coph, duodecim, vt planiſſimè explicabimus: ſi ſtudioſos illud monuerimus, omne huius linguæ artificium his paucis miniſtris comprehẽſum eſſe: vt qui earum vim teneat, bonã magnámque illius partem didicerit. Non tamẽ paſſim, nec temerè omnes ſeruiunt. Nam ברל קם à fronte tantùm, כהן à fronte atque à tergo, אותי paſſim ancillantur cæteris ſibíque. Nos itaque poteſtates expoſuiſſe contenti, exemplis ſuperſedebimus: cùm quoniã breuitati ſtudemus, tum etiã quòd facilè intelligi poſſunt. Quinetiam infrà in nominum verborúmque methodo proferentur.

De literis, quæ à fronte tantùm miniſtræ ſunt.

Beth.

ב Initio facit præpoſitionem in, & cum, ὀργανικῶς. Prætereà, per, iurantis. Iungitur infinitiuis, ac propriè præſens tempus ſignificat. Poſtremò vim habet ſuperlatiui, addito nomine generis, שַׁפִּירָא בִּנְשַׁיָּא, pulcherrima fœminarum.

Daleth.

ד Hæc litera apud Danielem & Esram nunquã sola seruit, sed cum iod, ac separatè dicitur דִּי. In Thargumin autem ac Thalmud frequentissimè, iungitúrque cum omnibus orationis partibus. Cæterùm ab Hebraica voce זו sumitur, Zain in Daleth verso. Hinc mutuati sunt Græci articulos suos, τοῦ, τοῖς, τόν.

Præcipuè hæc litera, vel דִּי, articulum genitiui significat: tum relatiuum, ídque in omnibus numeris, casibus, atque generibus. exempla passim reperias licet. AEthiopes Zain non mutant, vt ps. I. זָאִיחַר, qui non ambulauit. & זָאִיקַם qui non stetit. זָדוִיט, τοῦ δαβίδ. Arabes dicunt דִּי, & cum articulo אֶלְדִּי, qui, ὅς τις.

Significat etiam quòd, vel quàm.

Quinetiam mirificam vim habet, si nominibus collectiuis præfigatur, vt וּדְבֵית יְהוּדָה, quod non nisi Græcè aptè reddi potest, καὶ οἱ τοῦ οἴκου τοῦ ἰούδα.

Recipit præterea tam à fronte, quàm à tergo alias ministras: quarum officia suis quæque locis declarabuntur.

Lamed.

ל Præterquàm, quòd est præpositio, ad, apud, & articulus datiui, atque accusatiui in Daniele, Esra, & Thalmudicis, & litera בִּכְּלָם: Iungitur in Thalmud futuri personis tertiis, significans, vt, לֵיכְלוּנֵּהּ vt comedant eum. לִיקְטֹל vt interficiat. Quod Arabibus perfamiliare est, לִינְצַר, vt iuuet.

Significat etiam permittentis voluntatem, לִבְעֵי imploret, petat. לִחְדֵי lætetur.

Coph.

ק In Thalmud tantùm seruit: verùm de hoc in syllabis agemus.

Mem.

Mem.

מ Facit initio deriuatiua, præpositionē ab, ex, de, vt apud Hebræos. format participia cōiugationum omnium, præter cal actiuum, cuius infinitiuum facit. In Thargum Ierosolymitano secundæ ac tertiæ coniugationum infinitiuis præfigitur, לְמִקְמָא, לְמִבְרְכָא, quod apud alios diceretur, לְבָרְכָא, & לְאֲקָמָא. Postremò hac litera cōparatiuum circunloquimur, quod vel Hebraicé fieri solet.

De literis כהן, *quæ à fronte atque à tergo seruiunt.*

Caph.

כ A fronte est, sicut, instar, circiter, ferè, secundum, pro. Et litera בכלם. In fine pronomen secundæ personæ singularis.

He.

ה Initio interrogat, format apud Danielem & veteres cōiugationē tertiam. Est articulus emphaticus cum pronominibus demonstratiuis, ההוא ἐκεῖνος. format deriuatiua sequente daghés apud Danielem, הַמְנִיכָא, הַרְמִין. In commentariis Rabbinorum præfigitur deriuatis à tertia coniugatione, הֶרְגֵּל, הַשָּׂגָה. In Thalmud præponitur aduerbiis, הַתָּם illic, הָכָא hic. In fine pronomē est tertiæ personæ singularis. Quod etiam Hebræis inusitatū non est, שׁוּתֹה & עִירֹה Gen. 49. לֵחֹה Deut.34. סֻכֹּה Psal.10. pro עִירוֹ, שׁוּתוֹ, לֵחוֹ, סֻכּוֹ. Masculinum cum sire, fœmininum cum camés, & nonnunquam patha in Daniele.

N*un.*

נ A' fronte pauca format deriuata, נְבִזְבָּה munus, donatiuū. Apud Rabbinos frequēter quinti ordinis radicibus præfixa in deriuatis cernitur, נִמְחוֹת à מחה, נִמְסוֹת à מסה.

Porrò Syri & Thalmudici hac litera tertiā vtriusque

numeri in futuro formare ſolent.

Thargum Ieroſolymitanum etiam primam ſingularem, נֵגְכֹל comedã, נִטְרֵד eiiciam: quod fit in lingua Arabum vernacula, in ſyngraphica non item.

In fine additur παραγωγικῶς, Babylonicè in futuro tantùm, ídque in ſecunda & tertia pluralibus vtriuſque generis, & in ſecunda ſingulari fœminina. Cæterùm Syriacè atque Thalmudicè eadẽ paragoge adhibetur nõnunquã tertiis pluralibus præteriti, & imperatiui, & eiuſdẽ ſecũdæ ſingulari fœmininæ, אַנְהַרִין præluce fœmina.

In Thalmud prima plur. præteriti ſæpe in nun exit.

Porrò, quòd ad nomina attinet, animaduertẽdum eſt omnia nomina ac participia plur. in nun deſinere: de qua re infrà agemus.

Quinetiam multa verbalia in hanc literam exeunt, atque adiectiua non pauca.

In lingua Syriaca eſt pronomen primæ perſonæ ~~ſingularis~~: aliquãdo etiam geminatum, נַפְשַׁן anima noſtra, אֲבוּנַן pater noſter.

Solet etiã hæc litera in mediũ dictionis loco daghés irrepere, אִנְבָּא אִבָּא: quãquam ad radicem non pertinet: vt à יְדַע fit מַנְדַּע, pro מַדַּע. Verùm de hac re ſuo loco copioſius agemus. Sed non eſt omittendũ, id frequenter in lingua Arabica fieri, טַנְבּוּר טַבּוּר, אַנְבּוּב, אַבּוּב, muſicum inſtrumentum: vnde Ambubaiarum collegia, אַנְבּוּבַיָא

In Daniele & Eſra affigitur infinitiuo verbi ſubſtantiui, לֶהֱוֵן, pro לִהְיוֹתָם: aliis verbis non item.

De literis אותי, *quæ paſſim ſeruiunt.*

Aleph.

א Vt aliarũ princeps ac quaſi dux eſt Aleph, ſic omniũ in toto Chaldaiſmo creberrima, atque præcipua eſt

poteſtatis. Nullum enim nomen eſt, (propria ſemper excipio) quod huius opera non indigeat. quod perſpicuè oſtendemus, prius tamen officiis eius à fronte expoſitis.

Initio ergo primam futuri ſingularem format, tum coniugationem tertiam vnà cum multis verbalibus ab ea deductis, אַגָּחוּ prælium, ab אַגַּח. Præponitur etiã, ſed rarò, imperatiuis cal, אֶשְׁתְּ bibe, אֶדְכַּר memento. quod peculiariter Arabes factitant.

Apud Thalmudicos nominibus, & aliquando præpoſitionibus præfigitur: nunc ſignificans ad, ſuper, ſecundum, אֶרְעָתֵהּ, ex eius ſententia, à רַעְתָּא. אַלִבָּא, אֶפֻּמָּא, & reliqua: nũc, ſuper, אַגַּבָּא, ſuper dorſo. אַרֵישָׁא, ſupra caput.

In Thargũ Ieroſolymitano abũdat, אִידָא pro יְדָא manus.

In lingua Arabica atque AEthiopica ſæpe pluralem facit, בְּצַר aſpectus, pl. אַבְצָאר. עֲמַל opus, אַעְמָאל. AEthiopicè verò, הֲגַר ciuitas, pl. אַהְגַר, לְבַשׁ veſtis, pl. אַלְבָּשׁ.

Atque hæc quidem ſunt officia aleph à fronte.

In medio aleph ferè nunquam ſeruit, niſi ſeruitutem intelligamus, cum litera radicis, quæ prius latebat, apparet, vt דָן iudicauit, דָאֵן iudicans: vel cùm conuertitur ex יְהוֹא, הֲוָאָה fuerunt fœminæ, ab הֲוָה. Sæpe tamen abũdat, quod qua ratione fiat, explicandum eſt.

Digreſſio de literis אוי, *quæ pro punctis ſufficiuntur.*

Duplex, vt ſuprà diximus, eſt ſcribendi ratio, vna abſq; punctis notíſque vocalibus: altera, quæ poſterius excogitata eſt, cum figuris vocalibus, de quibus egimus. Veteres ergo ſine vocalibus ſcribebãt: quæ res magnas peperit controuerſias, cùm idem verbum varias recipiat interpretationes, vt cùm Septuaginta, הַמִּטָּה verterũt virgam, vtpote qui legerunt הַמַּטֶּה: cum Hebræi הַמִּטָּה legant, lectúmque reddant. Sic עַמָּךְ, pro עִמָּךְ: ſic alia mul-

ta, quorum ambigua lectio facile interpreti imponere poteſt. Omnia enim nudis ac neceſſariis tantùm literis perſcripta fuerant, ad Maſoritarum vſque tempora, qui & punctis vocalibus & accentibus Biblia ſacra exornarunt. Porrò cæteri omnes libri, vt Thalmudici, & Paraphraſes Chaldaicæ vnà cum Hebræorum commētariis, nullas habent vocalium notas: niſi quòd ante non multos annos quidam ipſis etiam Thargumin puncta addiderūt: ſed, vt ait Elias, אֲנָשִׁים בְּלִי שֵׁם כָּל־אֶחָד כִּרְצוֹנוֹ עַל־כֵּן יָצָא מִשְׁפָּטָם מְעֻקָּל וְאֵין לְהָבִיא מֵהֶן רְאָיָה לַעֲשׂוֹת עֲלֵיהֶם דִּקְדּוּק : Hoc eſt, homines obſcuri, ſinguli pro ſuo arbitratu: Quo factum eſt, vt iudicium eorum deprauatum euaſerit: nec adducenda ratio ex illis eſt, vt res Grammatica in eis conſtituatur. Hinc ergo facile apparet, quid Munſterum fefellerit, qui è Thargumin pleraq; omnia profert.

Cū igitur omnia, vt ad rem redeamus, ſine vocalibus ſcriberentur: ne maxima obſcuritas oriretur, has tres literas אוי (quas author Ieſira matres vocat, quæ nempe omneis vocaleis continent) pro punctis ſufficiebāt, aleph raro, Iod & Vau paſſim. Atque aleph quidem, præſertim in ambiguis, pro pathá & cames: iod pro ſegol, ſire & hirec: Vau pro holem, ſurec & Qibbús. Id autem in medio verbi tantum fit. exempla ſunt hæc, סאני pro סָנֵי odio habens, קארי pro קָרֵי clamans. יהודאי pro יְהוּדַי Iudæus. ביתיה pro בַּיְתֵהּ domus eius. ריבון pro רִבּוֹן dominus. גוברין pro גֻּבְרִין viri. Cum Iod aut Vau in medio mobilia ſunt, bis ſcribūtur, גוונא pro גַּוְנָא, עייל pro עַיֵּל. Quinetiam Aleph in fine abūdat pro mappic, מרהא pro מָרֵהּ dominus ipſius, רחמתהא pro רְחֵמְתָּהּ amaſti eam.

Hæc itaque ratio obſeruanda eſt tam in eruendis thematibus, quàm in rectè intelligendis atque ſcribēdis vo

cibus. Sed ad propoſitum reuertamur, hoc eſt ad officia Aleph, quæ in medio, vt dixi, non ſeruit, niſi ad orthographiam legitimè exprimendam.

Verùm vt melius vis ac poteſtas Aleph in fine intelligatur, cum primis animaduertẽdum eſt triplicem eſſe nominum formam. Vna eſt abſoluta, altera emphatica, tertia ſyntactica. Abſoluta dicitur, cùm ſimpliciter nomina ſine vlla mutatione vſurpantur, vt חַכְמָא ſapientia. Syntactica, cũ ſequitur genitiuus, חַכְמַת אֱלָהָא ſapientia Dei. Emphatica verò, cùm articulus legitimus intelligitur, vt מַלְכָּא, ipſe rex, ὁ βασιλεύς, חַכְמְתָא ἡ σοφία. Chaldæi itaque hunc emphaticum articulum per Aleph exprimunt, vt per אֶל el Arabes, Itali & Hiſpani. Ac nequis miretur id potius in fine, quàm initio fieri, vt apud Hebræos per הַיְדִיעָה ה: reſpondemus adhibẽdam eam eſſe methodum, qua in Cratylo vtitur Plato, nempe vt vltimam literam primam ordine collocemus, vel contrá. Ait enim ipſe ἧρα & ἀήρ, idem eſſe. Si enim crebrò ac citò ἧρα pronuncies, facies ἀήρ. Cùm ergo oſtenderimus, he atque Aleph viciſſim mutari, ſi Platonis regulã vſurpâris, efficies vt quæ prima eſſe debebat, vltima fiat, vt הַקַּדִּישׁ ſanctus, ſi ſæpe repetas, erit קַדִּישָׁה, vel קַדִּישָׁא. Quinetiam ſermo Turcicus articulos in fine collocat, זְמָאן tẽpus, זְמָאנֵר, τῶν χρόνου. זְמָאנְלַר, οἱ χρόνοι.

Hoc igitur Aleph nominemus licet אַרְמַנְדְּעָא.

Prætereà fœmininum genus indicat, שַׁפִּיר pulcher, שַׁפִּירָא pulchra. diſcernitur autem à Mandea ratione ſententiæ.

Nonnunquam in fine pro aduerbio vocãtis ponitur, אַבָּא ô pater. Significat, licet perrarò, pronomen primæ perſonæ ſingularis, בֵּינָא inter me. Gen. 13.

Et pro affixo he accipitur, פִּשְׁרָא. Dan.3. pro אֵיתִיא פִּשְׁרֵה. Pro אֵיתִיָה Gen. 2. Cuius rei vnum extat Hebraicum exemplum, כֻּלָּא, pro כֻּלָּה, Ezech.36.

Format tertiam plur. fœm. מְשַׁחָא vnxerunt fœminæ. apud Danielem ponitur נְפַלָה, ה

Poſtremò paragogen facit, in infinitiuo Cal, מִשְׁמְעָא, in futuro נִקְרְבָא, ſed hoc raró. certè in infinitiuis Paël & Aphel vltimum occupat locum, לְקַבָּלָא, אַשְׁכָּחָא.

Iod.

י Format tertiam futuri maſculinam vtriuſque numeri, & tertiam pl. fœmininam & ſecundam. facit in medio deriuatiua, & Peil. In fine pronomen eſt primæ perſonæ ſingularis. In Thalmud facit omnes infinitiuos, & primam ſing. præteriti. Ordinalia, gentilia, & quædam deriuatiua format vnà cum ſecunda fœm. imperatiui. Multa fœminina, & pluralia quædam abſoluta, & participia Thalmudica in Iod exeunt. Alioqui ad vitandam ambiguitatem abundare ſolet, vt diximus.

Non eſt ſilentio prætereundum, Rabbinos recentiores paronyma à nominibus paſſim formare addito in fine Iod, à יוֹם dies יוֹמִי diurnus. תַּלְמוּדִי, & לִמּוּדִי, didaſcalicus & mathematicus à תַּלְמוּד & לִמּוּד, aliáque innumera. Quod fit contra linguæ Hebraicæ & Chaldaicæ rationem, in quibus nulla fiunt huiuſmodi paronyma, niſi gentilia tantùm & ordinalia, cum aliis pauciſſimis. Cæterùm à nomine ſubſtantiuo nunquam ducitur paronymia, quod tam prophetarũ omnium, quàm veterum Thalmudicorum vſus oſtẽdit. Alioqui nihil vetabit, quominus dicamus שֵׁבֶט בַּרְזִלִּי virga ferrea, מַטְבֵּעַ כַּסְפִּי moneta argentea, aliáque eiuſmodi, à quibus caſtæ doctorum aures abhorrent. Sed ipſos quidem Rabbinos,

qui non in myſteriis modò, ſed in ſua quoque lingua plumbei ſunt, aliâs dabitur confutandi locus. Nunc cætera perſequamur.

Vau.

ו Initio eſt coniunctio, &, atque, autem, poſtquam, vt. in medio rarò admodùm ſeruit, præter pauca quædam nomina, גְּבוּרָא, קְטוֹל. Apud Rabbinos in infinitiuis ab Aleph incipientibus pro ipſo ponitur, vt לוֹכַל pro לֶאֱכֹל, לוֹמַר pro לֵאמֹר. In fine format nomen abſolutum fœmininum, חָזוּ, מַלְכוּ. Et tertiam pluralem maſcul. כְּתַבוּ, בְּנוּ, חֲרִיו, מַנִיו, אַטְעִיו, quæ ſine punctis ſcribuntur, חריאו, מניאו, אטעיאו.

Apud Thalmudicos ponitur in plural. participiorum quieſcentium Lamed, קְרוֹ, מְנַצוּ, clamantes, rixantes.

Thau.

ת Primò facit à fronte deriuatiuum, ſecundam futuri maſculinam vtriuſque numeri & generis vnà cum tertia ſing. fœm.

In medio ſeruit cum Aleph, vt dicemus.

In fine format ſecundam præteriti ſing. vtriuſque generis: Et primã tertiámque ſingulares, & aduerbia quædam, תִּנְיָנוּת ſecundò.

Apud Rabbinos infinitiui quieſcentiũ Lamed Aleph in Thau exeũt, לְקְרָאת legere & tertia fœm. ſing. præteriti, בָּאת venit.

De Thau in compoſitione participiorũ infrà agemus.

De ſyllabis ſeruilibus.

E ſyllabis aliæ à fronte, aliæ à calce famulantur, tum aliæ apud paraphraſtas, aliæ apud Thalmudicos, de quibus ſingillatim dicendum eſt.

יַת.

In paraphraſtis tantùm eſt articulus accuſatiui.

קָא.

Hæc ſyllaba tam ſeparata, quàm adnexa reperitur in Thalmud, vímque habet affirmationis, vt קָאמַר, קָתְנֵי.

דִּי.

Qui, quem, cum lamed לְדִי, cuius, cui: cum mem מִדִּי à quo. freques in Daniele, apud quem pro articulo τȣ̃ accipitur.

מַדְּ.

Cum verbis eſt, propterea quod, מִדְּרָחֵם. Deut. 7. & cum בַּר hoc modo, בַּר מִדַּהֲווֹ 3. Reg. 10. præter eos, qui erant.

את.

Facit paſſiuam vocem, quanquam apud Thalmudicos & Syros perſæpe cadit thau, אִקְרִי pro אִתְקְרִי.

נִתְ.

Hac ſyllaba formant rabbini Hithpaël, נִתְקַשֵּׁר.

בְּדְ.

Præfigitur præteritis בִּדְשְׁבַקְתּוּן, 3. Reg. 18. quoniam deſeruiſtis: & futuris, בִּדְאֶתְבַּר Leuit. 26. me frangente.

הִי vel אִי.

Initio interrogant, אֵידָן quíſnam, אֵיכָא vbínam.

Syllabæ quæ ad calcem ancillantur.

הִי.

Pronomen affixum ſingulare eſt, quod pluralibus additur maſculinis, cuius exẽplum lingua Hebraica ſuppeditat תַּגְמוּלוֹהִי, pro תַּגְמוּלָיו, Pſal. 116. Syriacè & Thalmudicè extruditur he, בְּנוֹי filii eius.

Et ſingularibus quibuſdam quieſcentibus lamed, ſed antecedente ſurec, אֲבוּהִי.

Verbis etiam pluralibus adnectitur, אֲסַרוּהִי, אֲסַרְתּוּהִי.

Quinetiam

Quinetiam quiescentibus lamed, & aliquãdo Ain adiungitur, בְּנָהִי ædificauit ipsum. Esr.5. & וַאֲתִיבְהִי & respondit ei.3. Reg.22. Et secundis personis sing. præter. בְּחַנְתּוֹהִי. Deut.33. & primæ plur. אֲתֵיבְנָהִי. Gen.44. Præterea imperat. deficientibus pe nun סַבְהִי. 4. Reg.4. Et perfectis nonnunquam, סוֹבְרָהִי. Exod.5. Postremò cum אִית copulatur אִיתוֹהִי. Dan.2.

הָא.

Iungitur verbis pluralibus & nominibus eodẽ prorsus modo, quo הִי, אֲבוּהָא: nam fœm. est: vnum extat Hebraicum exemplum, וְאַתִּיקֶיהָא, Ezech.41.

הֵן & הוֹן.

Tertiæ plur. affixa, ídque in nominibus tantùm, dicitur tamen כָּלוֹן pro כָּלְהוֹן. In his autẽ & sequentibus prius est masculinum.

הִי & הוּ.

Thalmudici resecto nun dicunt, נַפְשְׁהוֹ: quanquam Hebræi perperam pronunciant הו, & נַפְשְׁהִי.

כֵן & כוֹן.

Secundæ plur. affixa, Thalmudicè כִי & כוֹ, sed verbis etiam adduntur.

נֵּהּ & נֵהּ.

Affixa tertiæ sing. sed cum futuris tantùm.

נֵּן & נוּן.

Pluralia, cum Præteritis & futuris, antecedente vau dicitur נֵין pro נוּן, וטְמוֹנֵין. Gen.26. Reperitur etiam לֵיתְנוּן.

נֵּךְ & נָךְ.

Secundæ sing. affixa, ídque in futuris.

נַן & נָא.

In verbis faciunt primam pluralem, Babylonicè נַן, נָא Syriacè. Præterea affixum primæ plur. Et secundam im-

peratiui fœm. plur. De נָא in compoſitione participiorũ mox agemus.

נִי.

Affixum primæ ſing. cum verbis tantùm: in futuro aſſumit nun cum daghes, quod fit etiam in quieſcentibus lamed.

תָּא.

In hanc ſyllabam aliquando exit ſecunda præteriti maſculina, יְדַעְתָּא. Dan. 5.

תֵּן & תּוּן.

In has ſyllabas ſecundæ præter. plur. deſinunt, maſculinæ in תּוּן, in תֵּן fœmininæ, ſed Thalmudici nun abiecto תּוּ dicunt & תֵּי. Ezechielis 33. עֲשִׂיתֶן legitur in genere virili, pro עֲשִׂיתֶם.

יָא, & יָא, אָ, ין.

Omnia maſculina orthoclita in plur. abſoluto in ין exeunt. Quod Maſoritæ nouies in lingua Hebraica obſeruarunt,

אֲחֵרִין alii, Iob 9.
הָאִיִּין inſulæ, Ezech. 26.
בַּחַיִּין in vita, Iob 24.
הַיָּמִין dierum, Dan. vltimo.
חִטִּין triticum, Ezech. 4.
מְלָכִין reges, Prou. vltimo.
צִידוֹנִין Sidonii, 3. Reg. 11.
שׁוֹמְמִין vaſtatæ, Thren. 1.
הָרָצִין curſores, 4. Reg. 11.

Præterea in Iob ſæpe legitur מִלִּין pro מִלִּים.

Omnia ergo maſculina canonica pluralem mittunt in ין, מֶלֶךְ מַלְכִּין, dualia in ַיִן, קֶרֶן קַרְנַיִן: cæterùm emphatica cum Mandea deſinunt in יָּא, מַלְכַיָּא, οἱ βασιλεῖς. Ve-

rùm denominatiua in י, plurali faciunt יָא, יְהוּדִי יְהוּדָיָא,
quãquam Syri ſcribunt אֵי, יהוראי, cæteráque eodẽ modo.
Syntactica omnia, non intercedente daleth, in י ֶ, מַלְכֵּי
אַרְעָא: In Thalmud tamen, & apud Syros etiam abſoluta
hác formã retinent. Sed de his omnibus infrà copioſius.

תִּי.

In hanc ſyllabam in Thalmud exeunt multa adiectiua fœminina, רַבְּתִי, אַחֲרִיתִי. Thren. 1. רַבָּתִי & שָׂרָתִי legimus forma non abſimili.

נְהִי & נְהוֹ.

Eos, eas, cum verbis tantùm in Thalmud.

תָן.

Multa adiectiua à quieſcentibus lamed ducta in תָן exeunt, אֶמְתָּן, עַנְוְתָן: quorũ fœminina ſumunt iod, עַנְוְתָנִי. Syriacè quædam fœm. pluralia in hanc ſyllabam exeũt, בְּתוּלְתָן, שְׁכֵנְתָן, עְלֵימְתָן, in Eſter & Ruth.

וָן & הָן.

Nomina quieſcẽtia lamed aliquãdo in plur. in הָן deſinunt, אִמָּהָן אִמָּא, אֲבָהָן אַבָּא: אֲבָהָן אֲבָא, quanquã poſtremũ ſecundam geminare videtur.

Præterea omnia, quæ abſolutè exeunt in ו, vel י, vel ה, vel א, in plurali abſoluto habẽt וָן, מַלְכְּוָן מַלְכּוּ, אַרְיְוָן אַרְיֵה, כָּרְסְוָן כָּרְסֵא.

נוֹהִי.

Affixum ſing. tertiæ perſ. maſc. in Thalmud.

כְּשֶׁ.

Frequentiſſimum apud Rabbinos, ſed initio tantùm, כְּשֶׁהוּא, כְּשֶׁיָּבֹא, & cum ל לִכְשֶׁיָּבֹא. ſignificat, cum, vbi, ὅτε.

תֵי.

Nomina plur. fœm. ſyntactica in hanc ſyllabam exeunt, אֲבָהָתֵי עָלְמָא Gen. Targum Ieroſ.

Atque hactenus de literarum ac ſyllabarum vſu. Hæc ſi diligenter lecta atque percepta fuerint, magno erunt ad cætera cognoſcenda adiumento.

De partibus orationis.

Partes orationis in linguis Hebraica, Chaldaica, Arabica atque AEthiopica tres ſunt, Nomē, Verbum, Millá, quod συγκατηγόρημα voces licet. Quomodo veteres Græci in ὄνομα, ῥῆμα, & σύνδεσμον, orationem diſtribuebant. Millá porrò partes inflexiles, quæ literis ſæpe ſingulis ſignificantur, comprehendit.

De verbo Chaldaico.

Verba in Grammaticis locum ſibi primum meritò vendicant: quòd ab ipſis cætera proficiſcãtur. Verba itaque Chaldaica quatuor potiſſimùm rebus ab Hebraicis diſcrepant, numero præteriti perſonarum, coniugationum ordine, ~~punctorum ratione~~, compoſitione participiorum cum pronominibus, & punctorum ratione. In cæteris magnus conſenſus. Nam quæ ad literas, ſyllabáſque ſeruiles pertinent, ſuperius explicata ſunt.

Quod ad puncta vocalia attinet, dedimus operam diligenter, vt reſectis literis abundantibus, quæ pro punctis addi ſolent, appareat vera ac legitima punctorum in ſingulis perſonis ratio. Quod præſertim è Daniele & Eſra collegimus, adhibita adeò accurata analogia, vt ne Iudæi quidem reclamare poſſint.

De compoſitione participiorum ſuo loco agemus.

Porrò perſonæ præteriti decē ſunt, cùm in lingua Hebraica nouem tantùm cernantur: quoniam tertia plur. apud Chaldæos genere diſtinguitur, Hebraicè communis habetur. Eius rei ratio hæc eſt:

Omnes primæ perſonæ communes ſunt, hoc eſt, ge-

nus diſtinctum non habent: quia cùm loquuntur, ſuum ipſæ genus indicant. Cæteræ omnes apud Chaldæos vtrunque genus habent: apud Hebræos verò tertia pluralis, vt diximus, genere non diſtinguitur. Nam in futuro quidem etiam apud Hebræos decem perſonæ reperiuntur, tertia nempe plurali fœm. à ſecunda per Iod diſtincta. Quod Maſoritæ ter obſeruarunt:

וַיֵּחַמְנָה Gen.30.

וַיִּשַּׁרְנָה 1.Samue.6.

יַעֲמֹדְנָה Dan.8.

De Verborum ordinibus.

Verborum ordines octo ſunt.

Ad primum referuntur perfecta, quorum tres literæ radicis perpetuò apparent, קְרֵב, כְּתַב.

Ad ſecundum defectiua Pe nun, vel Pe Iod, quorum prima litera caduca eſt, אֲטַר נְטַר, יְכֹל יְכַל.

In tertio ponuntur quieſcentia Pe Aleph, vel Iod, אִירַת יְרַת, אֵכֹל אֲכַל.

Quartus continet quieſcentia Ain Vau, תָּב, קָם.

Quintus habet quieſcentia Lamed Aleph, vel Iod, vel He, בְּנָא, קְרָא, חֲדִי.

Sextus cõplectitur duplicantia Ain, גְּדַד à גַּד: קַץ, à קְצַץ.

In ſeptimo collocantur compoſita, id eſt, deficientia Nun vel Iod, & quieſcentia Lamed, aut quieſcẽtia vtraque extrema, נְצָא, יְצֵא, יֵאתֵה אֲתָה, & Syriacè יֵיתֵי.

Poſtremò verba quatuor vel quinque literarũ, quorum permagnus eſt numerus, ad octauum ordinem rediguntur, atque omnia ſecundæ ſunt coniugationis, quæ dicitur paël, פַּרְנֵס, שַׁלְהִי.

De coniugationibus.

Coniugationes Chaldæorum octo ſunt, Peal, Ithpeál,

Peil: Paël, Ithpaël: Aphel, Ophál: Poál quadrata. Quæ, si coniugandi ratio propius spectetur, tres tantùm sunt. Nam Ithpeal, & Peil passiuæ voces sunt ipsius Peal. Ophal est passiua vox Aphel. Poal verò quadrata ad Paël refertur. Sed nos, quò planius res explicaretur, hoc modo distribuere maluimus.

פְּעַל est vox actiua Cal, vt כְּתַב.

הִתְפְּעַל est eius vox passiua, vt niphal, אִתְכְּתַב.

פְּעִיל est forma impersonalis, cuius persona agẽs non exprimitur, כְּתִיב scribitur, scriptum est.

פַּעֵל est coniugatio actiua daghessata, קַדֵּשׁ. Ithpaël vox eius passiua, אִתְקַדַּשׁ.

אַפְעֵל est hiphil Hebræorum, אָפְעַל vox eius passiua, אַתְקֵן, אֲתְקַן.

פּוֹעֵל continet quadrata, quæ ad Paël referenda sunt, סוֹבַר.

Non est tamen nesciendum, etiã à neutris aliquando duci passiuã vocem, אִתְיְתִבַת Num. 5. Frequentabatur, cui respondet נוֹשְׁבָה.

Quinetiam quædam sunt passiua sine voce actiua, vt אִשְׁתְּכַח, quod proculdubio est Ithpeal, cùm Peal non legatur, sed Aphel tantùm אַשְׁכַּח. Quod errandi ansam quibusdam præbuit: cumvel Hebraica exempla multa reperiantur.

Postremò nonnulla sunt actiuæ significationis sub voce passiua.

Daniel tamen & aliquando Paraphrastæ verba cum Hebraica forma, quanuis perrarò vsurpant, vt יוּכַל, quod Chaldaicè dicitur יְכִל, è quibus quædam Masoritæ ad Hebraicum characterem recuderunt.

Verùm vt planissimè omnes intelligant, quanta sit il-

larum quatuor linguarum cognatio, ſtatuimus ſingula paradigmata verborum Arabicorum atque AEthiopicorum exponere. Nam ſuperioribus annis Pſalterium Arabica lingua, pòſt AEthiopica excuſum eſt: Et nuper AEthiopicum Euangelium Romæ editum. Vtemur tamen literis Hebraicis, cùm vt res facilius cognoſcatur, tum etiam quod fieri commodiſſimè poteſt ob literarũ ſimilem poteſtatem.

Illud interim obſeruãdũ eſt, Arabibus atque AEthiopibus optimè cum Chaldæis conuenire, niſi quòd Arabes dualem numerum habent, qui in verbis duntaxat genere non diſtinguitur. Quò fit, vt perſonas quatuordecim vſurpent, cùm Chaldæi atque AEthiopes decem modo habeant.

Præterea inter coniugandum, cùm Hebræi, Chaldæi atque Arabes vltimas ſyllabas pronominum à rectis mutuentur, AEthiopes ſumunt ferè ſemper ab obliquis. Quod iam exemplis oſtendemus.

Paradigma verbi Cal Arabici.

Præteritum.

נְצַר Iuuit M. נְצַרַת Iuuit fœm.

נְצַרְתַּ Iuuiſti M. נְצַרְתִּ Iuuiſti fœm.

נְצַרְתֻּ Iuui. Comm.

נְצַרוּא Iuuerunt M. נְצַרְןָ Iuuerunt fœm.

נְצַרְתֻּם Iuuiſtis M. נְצַרְתֻּןָ Iuuiſtis fœm.

נְצַרְנָא Iuuimus Comm.

Dual.

נְצַרָא Iuuerunt duo M. ὠφεληϲάτην.

נְצַרְתָא Iuuerunt duæ, fœm.

נַצַּרְתְּמָא ὠφελήσατον, Comm.

Benoni.

נָאצְרְן ὠφελῶν. נָאצְרֵתְּן ὠφελοῦσα.
נָאצְרָאן ὠφελοῦντε. נָאצְרֵתָאן ὠφελούσα.
נָאצִירוּן ὠφελοῦντες. נָאצְרָאתְּן ὠφελοῦσαι.

Paul.

מַנְצוּרְן ὠφεληθείς. מַנְצוּרֶתְּן ὠφεληθεῖσα.
מַנְצוּרָאן ὠφεληθέντε. מַנְצוּרְתָאן ὠφεληθείσα.
מַנְצוּרוּן ὠφεληθέντες. מַנְצוּרָאתֵּן ὠφεληθεῖσαι.

*Syllaba ן Arabicè puncto, non literis exprimitur.

Infinitiuus.

Multiplices formas habet, ſimplex eſt huiuſmodi, גְּלוּשׁ ſedere. חְרוּג exire. צַרְבָּאן verberare.

Imperatiuus.

Maſcul.

אַנְצָר ὠφέλει.
אַנְצְרָא ὠφελεῖτον.
אַנְצְרוּא ὠφελεῖτε.

Fœm.

אַנְצְרִי
אַנְצְרָא
אַנְצְרְנָא

Futurum.

אַנְצָר Præſ.Sing.Com.

יַנְצָר 3.ſing.maſc. תַּנְצָר 3.ſing.fœm.
תַּנְצָר Iuuabis maſc. תַּנְצוּרִין fœm.

Plur.

נַנְצָר Iuuabimus Com.

תַּנְצְרוּן Iuuabitis M. תַּנְצְרַן F.
יַנְצְרוּן Iuuabunt M. תַּנְצְרַן F.

Dual.

יִנְצְרָאן Iuuabunt duo M. תִּנְצְרָאן F.

תִּנְצוּרָאן Iuuabitis Com.

Exemplum verbi AEthiopici.

Præteritum.

גַּבַר	Fecit M.	גַּבְרַת	Fecit F.
גַּבַרְךָ	Fecisti M.	גַּבַרְכִּי	Fecisti F.
	גַּבַרְךָ Feci Com.		
גַּבַרוּ	Fecerunt M.	גַּבְרָא	Fecerunt F.
גַּבַרְכֶּמוּ	Fecistis M.	גַּבַרְכֶּן	Fecistis F.
	גַּבַרְן Fecimus Com.		

Benoni.

Masc.			Fœm.
גַּבִיר	Faciens.	גַּבִירָא	Faciens.
גַּבִירָן	Facientes.	גַּבִירָת	Facientes.

Paul.

Masc.			Fœm.
גְּבִיר	Factus.	גְּבִירָא	Facta.
גְּבִירָן	Facti.	גְּבִירָת	Factæ.

Infinitiuus.

גַּבִיר facere, & cum Biclam,

לַגַּבִיר , בַגַּבִיר.

Imperatiuus.

Mascul.			Fœm.
גַּבַר	Fac.	גְּבְרִי	Fac.
גַּבַרוּ	Facite.	גְּבְרָא	Facite.

Nemo miretur duo seuain: nam id AEthiopum postulat orthographia.

Futurum.

Masc.			Fœm.
יְגְבַר	Faciet.	תְּגְבַר	Faciet.

E.i.

תִּגְבַּר	Facies.	תִּגְבְּרִי	Facies.

Comm.

נִגְבַּר Faciemus.

יִגְבְּרוּ	Facient.	יִגְבְּרָא	Facient.
תִּגְבְּרוּ	Facietis.	תִּגְבְּרָא	Facietis.

Hinc iudicent omnes licet, quanta ſit harum linguarum affinitas: quámq; paruo negotio, ſi fideliter ac methodicè tradantur, cognóſci ac penitus intelligi poſſint. Cùm verba Atticè coniugata multò magis diſſentiāt ab AEolica & Dorica dialecto, quàm Arabica atq; AEthiopica vel inter ſe, vel ab Hebraica & Chaldaica diſcrepēt. Sed iam redeamus ad Chaldæorum coniugationes.

De coniugatione Cal in Perfectis.

Prima coniugatio verborum perfectorum tres habet formas, פְּעַל vt שְׁפַר: פְּעֵל vel פְּעִל, vt תְּקֵל, סְגֵר: & פְּעוֹל vt דְּמוֹךְ. Quod etiam in Hebraica cernitur, niſi quòd prius punctum hîc ſemper camés, illic perpetuò ſeuá. exempla ſunt, פְּקַר, חֲפֵץ, יְכוֹל. Iod in Cal perfecto nuſquam eſt, niſi cū ſine punctis ſcribimus, vt קריב, & cū punctis קְרֵב.

Præteritum Cal Perfectorum.

פְּעַל.

Fœm. Sing.	Maſc. Sing.
כְּתְבַת 3.	כְּתַב 3.
כְּתַבְתְּ 2.	כְּתַבְתְּ 2.

Commū.

כִּתְבֵת.

Fœm. Plur.	Maſc. Plur.
כְּתַבָא 3.	כְּתַבוּ 3.
כְּתַבְתֵּן 2.	כְּתַבְתּוּן 2.

Comm.

כְּתַבְנָא.

Annotationes in Præt. Cal.

Forma ,פַּעֵל, eodem modo variatur, sempérque retinet sire, nisi in tertia plurali, quæ habet hirec, פַּעִלוּ, פַּעִלָא. At פַּעֵל in tertiis retinet hirec, in aliis sire, nisi quòd tertia sing. fœm. formã habent פַּעְלַת. Ceterũ פְּעוֹל nihil mutat.

Tertia sing. fœm. semper exit in tau, quod bis in Hebraica lingua factum est,

אָזְלַת יָד Deut.32.

וְשָׁבַת לַנָּשִׂיא Ezech.46.

Si ergo vltima fuerit res, formã habet פְּעֶלֶת, si חע, פְּעַלַת. si prima fuerit gutturalis פַּעְלַת, & aliquando פֶּעְלַת : & prima פַּעֲלֵת.

Secũda sing. masc. aliquãdo habet paragogen Aleph, יְדַעְתָּא Dan.4. Et nonnunquam desinit in camés, quod fit in pausa tantùm, יְכֵלְתָּ Dan.2. הִתְרוֹמַמְתָּ 5.

De præterito Syriaco & Thalmudico.

Syri & Thalmudici non multùm variant à forma exposita, quæ Assyriorum est. Tertiæ enim plur. vtrique paragogen nun addunt, עֲבָרֻן, עֲבָרוּן : cuiusmodi duo tantùm exempla habes in Hebraismo,

יָדְעוּן Deut.8.& צָקוּן Esa.26.

Præterea primam plur. Syri sæpe in geminum nun, Thalmudici in vnicum terminant, אֲכַלְנַן, אכלן. Quòd si ante nun in perfectis Iod ponatur, vel est participium compositum, vel error librarii.

Talmudici primam sing. in Iod finiunt, מְשַׁחִי, אֲכַלִי, sed accedente affixo redit Tau, מְשַׁחְתֵּה

Benoni.

Participium præsens sub pe semper habet camés, sub Ain Siré, vel hirec, aut patha, si lamed fuerit אחע. Nam פָּרְסִין Dan.5. vel nomen est, vel scribẽdum פָּרְסִין. Porrò

cùm nominum more flectatur, assumit Aleph Mandéa, túmque vim potius nominis habet.

Forma Benoni.

כָּתֵב כָּתְבָא כָּתְבִין כָּתְבַיָּא
γράφων. ὁ γράφων οἱ γράφοντες, γράφοντες.

Fœm.

כָּתְבָא כָּתְבְתָא כָּתְבָן כָּתְבָתָא

Neutra sæpe habent hirec, דָּלִק Dan.7. נָחִת, & יָכִל, 3.

De *compositione* Part. *cum* Pron.

Animaduertendũ est participia omnia masculina cõponi cũ pronominibus primæ & secũdæ personæ (quod tamen in Daniele & Esra haud reperias) vt præsentis significatio referatur.

Verùm, nequis, vt falsò Munsterus credit, præteritum componi putet: age id aliquot ostendamus exemplis, ídque in aliis coniugationibus, in quibus participia literis quibusdam, nedum punctis, à præterito discrepant.

מְסַלְּקְנָא, Ego aufero. Esa.1.
מְהוֹדַעְנָא לְהוֹן ostendo eis. Exod.18.
מְבָרְכַתְּ tu benedicis. Num.23.
מַשְׁקַתְּ tu irrigas. Deut.2.

Hæc nemo tam erit impudens, qui participia esse negare audeat.

Quinetiam quinque similia extãt in lingua Hebræorum exempla,

וְיוֹלַדְתְּ Iud.13.
יוֹשַׁבְתְּ, & שׁוֹכַנְתְּ Ier.22.
מְקוֹנַנְתְּ Ibidem.
מִשְׁתַּחֲוִיתֶם Ezech.8.

Hæc, si quis acutè perpendat, participia cum pronomine composita esse deprehendet. Quanquam sine vlla

ratione Iudæi quidam participia cum præteritis composita esse autumant.

Rabbini id imitari voluerũt, cùm dicant מְקֻבָּלְנִי, Edoctus sum à maioribus.

Sed cur tertiæ personæ pronomẽ non componatur, quærat fortasse aliquis. Is sciat tertias personas etiam in præteritis literas pronominum sibi non asciscere, quas aliæ omnes habent.

Compositio ergo fit prima pronominis recti litera resecta, תְּ, נָא, נַן, תּוּן, hoc modo,

ille scribit	tu scribis	ego scribo.
כָּתֵב	כָּתֵבְתְּ	כָּתֵבְנָא
illi scribunt	vos scribitis	nos scribimus.
כָּתְבִין	כָּתְבִיתוּן	כָּתְבִינַן

Thalmudici cætera seruant, sed nun tertiæ & secundæ resecant, כָּתְבִי, כָּתְבִיתוּ.

Fœminina non componuntur, sed separatim ponuntur, מְשַׁבְּחָא אֲנָא Prou. 9.

De participio passiuo Cal, *quod dicitur* פְּעִיל.

Perpetuò habet seua & hirec gadól, quæ nunquam mutantur.

M.

כְּתִיבַיָּא	כְּתִיבִין	כְּתִיבָא	כְּתִיב

Fœm.

כְּתִיבָתָא	כְּתִיבִין	כְּתִיבְתָא	כְּתִיבָא

Compositio.

Nõ secus cõponitur, ac cætera omnia, vt גְּנִיבְנָא Gen. 40.

כְּתִיבִיתוּן	כְּתִיבִינַן	כְּתִיבַתְּ	כְּתִיבְנָא

De *Imperatiuo.*

mininam habent, Aleph vltimum vel He mutatur in Thau, hac lege (quod diligentissimè obseruandum est) vt in singulari præcedat patha, in plurali cames, vt מַלְכָּא regina, מַלְכַּת צָרְפַת regina Galliæ. מַלְכָּן reginæ, מַלְכַּת אַרְעָא reginæ terræ. Excipiuntur, quæ absolutè in vau vel iod desinunt, ea enim in regimine assumunt thau puncto non mutato, צְלוֹ precatio, צְלוֹת צַדִּיקָא, precatio iusti. בִּישׁוּ malitia, בִּישׁוּת עָלְמָא malitia orbis. אַרְעִי fundū, אַרְעִית יַמָּא fundum maris. quæ cùm plurale habent, desinunt in תְ, מַלְכוּ, regnum, מַלְכְּוָן regna, מַלְכְּוָת עָלְמָא regna mundi.

Sciēdum tamen est, vt suprà diximus, dalet regimini obsistere. tum enim in singulari sumitur forma emphatica, & in plurali quādoque absoluta, & Syriacè nōnunquam syntactica. Exempla hæc sunt, בַּיְתָא דְדָוִד, ὁ οἶκος τοῦ Δαβίδ. יַרְחַיָּא דְשַׁתָּא οἱ μῆνες τοῦ ἐνιαυτοῦ, & יַרְחִין דְשַׁתָּא. עָרְרֵי, רַעֲנָא, πόα τῶν μήλων, Syriacè & Thalmudicè.

Methodus affixorum pronominum.

AFfixorum in nominibus ratio non nisi in paucis linguæ Italicæ vocabulis intelligi potest, vt signorso, quod legitur apud Dantem, רִבּוֹנֵהּ, dominus eius: & signorto, in Boccatio: & alia perpauca, quæ in vsu villicorum crebra sunt, ab vrbanis certè non recipiuntur, vt mogliema, אִתְּתִי vxor mea, *fratelmo* אַחִי, frater meus. Verùm in lingua Chaldaica tribúsque aliis, mirificum planè est artificiū. Quod vt planius intelligatur, affixorum vis paucis aperienda est. Ea itaque trium sunt generum.

Masculina,	הֵ גֵהּ וֹהִי vel וִיךְ נָךְ כוֹן הוֹן נוֹן
Fœminina,	הַ נַהּ הָא ־ךְ יִכִי נַךְ כֵן הֵן נֵין
Communia	י נִי נָא נָן ן
In Thalmud pro,	כוֹן הוֹן כֵן הֵן
dicitur,	כוֹ vel יְכוֹ, הוֹ vel יְהוֹ, כֵי vel יְכֵי, הֵי vel יְהֵי

Quanquam vulgò Iudæi pro holem perperam pronunciant ſurec.

Quæ habent caph, ſunt ſecundæ perſonæ, communia primæ, alia omnia tertiæ.

Præterea affixa quædam verbis tãtùm coniunguntur, quæ, obliqua nomines licet, ea aſſumunt nun dageſſatũ, נֵּהּ נָּךְ נָּהּ נֵּךְ נְּהוֹ נְּהֵי נְכוֹ נְּכֵי נּוּן נֵּין, præter נִּי. De quibus ſuprà egimus. Cætera adduntur tam nominibus, quàm verbis. Iod nominibus tantúm.

Affixa in nominibus puncta aliquando, & nonnunquam literas immutant, quod exempla indicabunt.

מֶלֶךְ vel מַלְכָּא Rex.

Aff. cum ſingulari numero.

Maſc.			Fœm.
מַלְכֵּהּ	rex eius.		מַלְכָּהּ
מַלְכָּךְ	tuus.	Comm.	מַלְכֵּךְ
מַלְכְּהוֹן	*Babylonicè*	מַלְכִּי	מַלְכְּהֵן *Bab.*
מַלְכְּהוֹ	*Thalmudicè*	מַלְכַּי *Thal.*	מַלְכְּהֵי *Thal.*
מַלְכְּכוֹן			מַלְכְּכֵן
מַלְכְּכוֹ		Comm.	מַלְכְּכֵי
		מַלְכָּנָא *Bab.*	
		מַלְכָּן *Syr.*	
		מַלְכֵּן *Thal.*	

In Thalmud legitur etiam טַעְמַיְהוֹ ratio eius, & alia eiuſmodi.

Affixa pluralia.

Maſc.	Comm.	Fœm.
	מַלְכַּיָּא vel מַלְכִּין	
מַלְכּוֹהִי *Bab.*		מַלְכָּהָא
מַלְכּוֹי *Syr.*		מַלְכַּיְכִי

Maſc.	Comm.	Fœm.
מַלְכָּךְ		מַלְכַּיְכִי
מַלְכֵּיהוֹן	מַלְכָּנָא *Bab.*	מַלְכֵּיהֵן
מַלְכֵּיהוֹ	מַלְכֵּינָן *Syr.*	מַלְכֵּיהֵי
מַלְכֵּיכוֹן		מַלְכֵּיכֵן
מַלְכֵּיכוֹ		מַלְכֵּיכֵי

ה fœmininum apud Danielem 7. habet patha, רֵאשַׁהּ & בְּרַגְלַהּ.

מַלְכָּךְ, in plurali ſcribendum fuerat מַלְכָּיִךְ, vt exempla Danielis oſtendunt: ſed Maſoritæ, cùm iod poſt cames quieſcere non poſſit, maluerunt ſcribere מַלְכָּךְ,quod à ſingulari differre ſententia ipſa indicarit.

Affixa cum fœminino.

מַלְכָּא vel מַלְכְּתָא, & מַלְכַּת *ſyntaƈticè, regina.*

Maſc. cum ſing.	Comm.	Fœm.
מַלְכְּתֵהּ	מַלְכְּתִי	מַלְכְּתָהּ
מַלְכְּתָךְ		מַלְכְּתֵךְ
מַלְכַּתְהוֹן		מַלְכַּתְהֵן
מַלְכַּתְהוֹ		מַלְכַּתְהֵי
מַלְכַּתְכוֹן		מַלְכַּתְכֵן
מַלְכַּתְכוֹ		מַלְכַּתְכֵי

מַלְכְּתָנָא *Bab.*

מַלְכְּתָן *Syr.*

מַלְכְּתַן *Thal.*

Cum plurali.

מַלְכָּתֵהּ	מַלְכָּתִי	מַלְכָּתָהּ
מַלְכָּתָךְ		מַלְכָּתַיְכִי
מַלְכָּתְהוֹן		מַלְכָּתְהֵן
מַלְכָּתְהוֹ		מַלְכָּתְהֵי
מַלְכָּתְכוֹן		מַלְכָּתְכֵן
מַלְכָּתְכוֹ		מַלְכָּתְכֵי

מַלְכְּתָנָא Bab.
מַלְכְּתָן Syr.

אֲבָא אַב

Cum affixis mutat vltimam in ו, vt אֲבוּהִי pater eius, ſed tamen אֲבִי dicitur. in plu. אֲבָהָת cũ affixis, quæ addũtur vt in fœmininis diximus. Sic אָח, חָם & alia eiuſmodi.

Quæ deſinũt in vau ſurec vel holem, aut hirec magnũ, aſſumunt thau, præterea nihil immutant, חֲזוּתֵהּ, חָזוּ, &c.

Quæ habẽt in fine aleph radicale, id cum affixis in ſingulari vertunt in iod, בַּרְסָא, כָּרְסְיֵהּ, כָּרְסִי, מָרָא, מָרְיֵהּ, מָרִי, & reliqua eodem modo. בַּיִת, בַּיְתֵהּ, בַּיְתִי, בָּתֵּהּ, בָּתָךְ.

Cætera omnia facillimè ad hanc rationem coagmẽtari poſſunt.

Sed obſeruãdum eſt, affixa in lingua Syriaca & Thalmudica abundare nonnunquam, in Babylonica non item. Quod Hebraicè aliquando fit, vt חַיְתוֹ יַעַר, Exẽpla. פְּסִיעָתוֹי דְגַבְרָא greſſus viri, Græcè, τὰ τοῦ ἀνδρὸς βήματα. מַתְלוֹי דִשְׁלֹמֹה Parabolæ Salomonis, aliáque innumera.

De pronominibus.

PRonomina, quæ ſeparata dicũtur, è literis ſeruilibus ferè conſtant, vt nomina dici non poſſint. Ea hoc modo variabis.

Tertia perſona.

	Maſc.	Sing.	Fœm.
No.	הוּא, נִיהוּ אִיהוּ	ipſe, ille,	הִיא, נִיהָא אִיהָא ipſa, illa,
Gen.	דִּילֵהּ, דִּידֵהּ		דִּילָהּ דִּידָהּ
Dat.	לֵהּ		לָהּ
Accuſ.	לֵהּ & יָתֵהּ		לָהּ & יָתָהּ
Ablat.	מִנֵּהּ		מִנָּהּ

Plur.

No.	אִנּוּן,הִנּוּן,נִנְּהוֹ,& אִנְּהוֹ ipſi,th.	נִנְּהֵי & אִנְהֵי,הִנֵּין,אִנֵּין th.
Gen.	דִּידְהוֹ,דִּילְהוֹן דִּידְהוֹן	דִּידְהֵי דִּילְהֵן דִּידְהֵן
Dat.	לוּן , לְאִנּוּן , לְהוֹן	לְאִנֵּין , לְהֵן
Accuſ.	הִמּוֹ ,הִמּוֹן ,יָתְהוֹן ,יָתוֹן	יָתְהֵן
Ablat.	מִנֵּיהוֹ ,מִנְּהוֹן Th.	מִנְּהֵן

Secunda.

	Maſc.	Fœm.
Nom.	אַנְתְּ ,אַתְּ, Tu.	אַנְתְּ ,אַתְּ
Gen.	דִּילָךְ דִּידָךְ	דִּילֵךְ ,דִּידֵךְ
Dat.	לָךְ	לַיְכִי vel , לֵכִי , לֵךְ Th.
Accuſ.	לָךְ יָתָךְ	יָתַיְכִי ,לֵךְ יָתֵךְ Th.
Ablat.	מִנָּךְ	מִנַּיְכִי ,מִנֵּךְ Th.

Plur.

אַתּוּן אַנְתּוּן	אַתֵּן אַנְתֵּן
דִּילְכוֹ,דִּילְכוֹן,דִּידְכוֹן	דִּידְכֵי , דִּילְכֵן , דִּידְכֵן.
לְכוֹ לְכוֹן	לְכֵי לְכֵן
יָתְכוֹן	יָתְכֵן
מִנַּיְכוֹ vel מִנְּכוֹ מִנְּכוֹן	מִנַּיְכֵי vel מִנְּכֵי מִנְּכֵן

Prima communis eſt.

Nom. אֲנָא vel אֲנָה ego.
Gen. דִּילִי & דִּידִי mei.
Dat. לִי mihi.
Accuſat. יָתִי me.
Ablat. מִנִּי à me,& Thal. מִנַּי

Plur.

Nom. אֲנַחְנָא, vel נַחְנָא, vel אֲנַן, nos.
Gen. דִּידָן & דִּילָן noſtri.
Dat. לָנָא & לָן nobis.
Accuſ. יָתָנָא & יָתָן nos.
Ablat. מִנָּנָא & מִנַּן , à nobis.

Demonstratiua.

Masc. hic, iste, οὑτοσί. Fœm. hæc, ista, αὑτηί.

הָדֵי, דְכִי, דְכֵּן, דֵךְ הָדֵן דֵּן הָהִיא, דָךְ, דְנָא, הָדָא, דָא

אִינָא, הַי, הַהוּא

לְהָדֵי לְדֵן isti, לְאִינָא Thal. לְדָא

Plur. Comm.

הָנֵי, vt אֵלֶּה, isti, istæ. Thal.

מֵהָנֵי & מִנְהָנֵי ab illis. Thal. & מֵהַנָּךְ

אִלֵּךְ, אֵל, Bab. illi, isti. אִלֵּין istæ, דְנָן hæ.

Dicitur בּוֹן pro בְּהוֹן, vel potius בּוּן, per syncopen.

Interrogatiua.

מַן quis, & ὅστις. מַנוּ Syriacé.

לְמַן cuius.

אֵידֵן quísnam. אֵידָא quænam.

לְאֵידֵן cuiusnam. לְאֵידָא cuinam.

מַי quid.

אִית דְ quidam.

Aduerbia.

ADuerbia nonnulla literas seruiles à fronte, & quædam affixa in fine admittunt, vt מִגַּו, מִלְּגָו, à parte interiore, כְּוָתֵהּ, כְּוָת.

Aduerbia Generalia.

לָא non, ne.	אֵיכָא vbi.
הָא ecce.	עֵלָּא supra, & לְעֵלָּא, & מִלְּעֵל
אָן vbi.	לְרַע & מִלְּרַע infra.
לְאָן, quo?	עַד כְּעַן hactenus.
מְנָן vnde?	כְּעַן nunc.
הָלְכָא huc.	אֶתְמָלִי heri.
הָכָא hîc.	מְחַר cras.
תַּמָּן & תַּמָּה ibi, illuc.	יוֹמָא דֵין, vel יוֹמְנָא hodie.
מִכָּא hinc.	תוּב amplius, ἔτι.

מְגַו intra.
מִלְּגַו intrinſecus.
בָּרָא foris,
לְבָרָא foras.
מִלְּבָרָא foris.
הַשְׁתָּא nunc
מֵהַשְׁתָּא, deinceps.
עַד quouſque
חֲזִי ἰδού, en, ecce.
לֵית non, vel לָית,
ab אִית & לָא.
כְּמָא ſicut.
כְּוָת ſicut.
כִּזְעֵיר μικροῦ, feré.
אֵיךְ & הֵיךְ ſicut.
לַחֲדָא valde, ad vnum.
כִּלְמָא paulominus.

עוֹד adhuc.
בֵּין כָּךְ interim.
פּוֹן ſtatim.
עַד לָא priuſquam.
בָּתַר poſtea.
אֵימָת quando: & לְאֵימָת
הֲלָא annon?
בְּלָא abſque.
אַף & אֲף etiam.
אֲפִילוּ, ab אַף אִלוּ, etiamſi.
כְּדְנָה & כְּדֵין & כְּדְנַן ſic, hoc modo.
יַתִּיר plus, magis.
מָאִם forte, quid ſi.
כַּחֲדָא pariter, ſimul.
מַגָּן fruſtrá.
כַּד, cùm, quando.

Thalmudica.

הָאִדָּנָא, pro הָעִדָּנָא nunc.
אַדְּהָכִי interim.
אַטּוּ quid ita?
אַדְּרַבָּא contra.
אַדְּכִי adhuc, ἔτι.
מִכִּי ἐπειδὴ, poſteaquam.
כְּדוּ nunc.
מִכְּדִי ex quo.
בָּתַר כְּדוּ poſteá.

הָכִי ſic.
דִּלְהָכִי tametſi.
בְּהָדִי ἕως ὅσῳ, donec, dum.
לִכָּא non, אֵין, לֵית, ab
לָא & אִכָּא.
Aduerbia qualitatis plerunque è nomine & litera ſeruili fiunt,
לִרְחָצָן ſecuré.

De præpoſitione.

Præpoſitiones multæ affixa recipiunt, vt לְוָת ad, לְוָתָךְ ad te, לְוָתֵהּ ad eum.

לְוָת ad.

עַד vſque.

מִן ab,de.
עַל, super,propter,
& עֲלָלַי
בִּסְטַר iuxta.
כְּלַפֵּי versus,
חֲלַף pro.
תְּחוֹת sub.
גַּבֵּי apud.
עֲבַר trans.

קֳדָם ante.
בַּר præter.
קֳבֵל aduersus,è regione.
עִם cum.
בְּגִין propter.
בִּגְלַל propter.
מִבְּלִי absque.
קַדְמַת ante.
תְּתֵי infra,Thal.

Affixa addere facile est, קֳדָמַי, קֳדָמָךְ &c.

De Coniunctione.

Vna est Coniunctio generalis Vau, cæteræ sunt hæ, & aliæ eiusmodi.

בְּרַם tamen.
מְטוּל propterea.
אִם & אִן si.
עַל־כֵּן ideo.
בְּכֵן iccirco.
כְּמָא דִי quemadmodum.
הֵן si, siue.
אֲרוּם quoniam.
אֱלָהֵן verùm.

אֶלָּא sed,nisi.
לְהֵן idcirco.
בְּדִיל ideo.
כִּי quoniam.
אֲרֵי quia.
חֲלַף propterea quòd.
בְּמָה quam.

FINIS.

9

NOS subscripti, sacræ theologiæ professores, præcedentem librum ex ordinatione facultatis visitauimus, in quo nihil à nobis deprehensum est, quod pias aures Christianorum offendere possit: multa verò continentur quæ ad perfectiorem sacræ scripturæ intelligentiam non parum conducere à doctis & bene affectis lectoribus iudicabuntur. Atque ita esse, nostris chirographis comprobamus hic appositis vndecima die mensis Ianuarij. Anno Domini 1553.

Papillon.

Franciscus Iouerius.

Loci aliquot Noui Teſtamenti cum Hebræorum originibus collati, atque hiſtoricè explicati.

DE NOMINE IESV, ET IOVA'.



T HOMINES nostri linguæ Chaldaicæ cognitionem noui quoque Testamenti studio cõducere, ac multum ornamẽti atque adiumenti piis conatibus afferre intelligant: locos aliquot in mediũ proferemus, quos nemo huius linguæ ignarus assequi penitus potest. Eam tamen adhibebimus præfationem, nequis nostræ religionis mysteria ac dogmata à sanctissimis doctissimísque viris, qui Chaldaicè nesciuerunt, ignorata fuisse de nostris verbis existimet. Nec enim hîc de sublimibus adeò agemus quæstionibus: sed locos quosdam, quod ad institutũ nostrum attinet, pressius tractãdos, atque accuratius explicandos proponemus: I'dque historicè faciemus ac simpliciter, quãtum è linguæ Hebraicæ atque Syriacæ, quas à teneris annis ardentissimo sumus studio cõplexi, proprietate vsúque intelligere potuimus. Nam si, vt Demosthenicam dictionem, & Homeri sententiarum atque verborum maiestatem inspiciamus, totam linguã Græcam, quæ cùm laboriosius, tum maiore temporis iactura cognoscitur, ediscere non piget: vidẽdum est, ne turpe homini Christiano sit, Christi verba minoris facere, quàm Homeri aut Demosthenis: cùm illa præsertim iucundissima pios animos voluptate afficiant, hæc aures modò demulceãt. Sed iam instituta perficiamus, si vnũ id lectorem monuerimus, vt nõ authoritatem nec personam, sed rem ipsam intueatur, quæ rectè intellecta luminis aliquid sacrarum literarum studiis afferre potest. Cùm enim sacris scriptoribus ea deferenda sit authori-

tas, vt, quanuis ratio nobis non constet, verissima tamen esse, quæ dixerint, credamus: sic cæteris tantum habendum est fidei, quantum rationibus & argumentis probare atque efficere potuerint.

Primùm itaque de sanctissimo nomine Iesu, quod indignè à quibusdam laceratur, atque è suauissimo absonum ac penè monstrosum efficitur, tum de Hosaná, Amén, Rabbi, ac cæteris eiusmodi disputabimus: cùm vt quæ perfectè hactenus explanata non sunt, conferendis priscorum authorum sentētiis dilucidius è sua origine exponamus: tum vt superciliosam quorundam doctrinæ ostētationem cum summa inscitia coniunctam retundamus. Qui maximam peregrinarum linguarum scientiam iactare & venditare solent, atque petulantissimis verbis D. Hieronymum ac nostros homines proscindere, vt qui inscitia lapsi persæpe vel malè interpretati sint, vel non intellexerint linguam Hebraicam. Cùm si conferātur in vnum isti omnes, D. Hieronymi instar futuri non sint. Cæterùm ne conuiciis potius, quàm rationibus agere videamur, iam nomen mirificum Iesu explicare incipiamus.

Putat Osiander homo doctus & ingeniosus (sed cuius diligentiam in linguis peregrinis tractandis desiderare cogor) & verbosa disputatione persuadere omnibus conatur, nomen hoc יְהֶשׁוּה Iehesúh scribendum esse, vt literas omneis nominis Tetragrammati habeat, eáque in re magnum credit inesse mysterium: alioqui de Christi maiestate aliquid detractum iri contēdit. Nos verò, nisi Cabbalistarum nugas in Christianam religionē admittere volumus, nec in literis יְהוָה Iehouá, nec יֵשׁוּעַ Iesuá magnum aliquod mysterium ponimus: sed in virtute

atque omnipotẽtia Dei, quæ nullis literarum figuris exprimi poteſt, Myſteriorum vniuerſam abyſſum eſſe credimus. Verùm capita argumentorum eius colligamus, quæ quàm vera ſint, mox apparebit.

Principiò ait nomẽ Ieſu in libris alicuius authoritatis יֵשׁוּ Ieſu ſcribi.

Tum putat non eſſe ferendum, יֵשׁוּ, ſine litera Aain ſcribi, ſi Thema eſſet יֵשַׁע, vt nos credimus.

Deinceps è verbis Matthæi & prophetæ Eſaiæ argumentatur, quæ, ſi Chriſtus vocetur יְהוֹשֻׁעַ Iehoſua, non rectè exponerẽtur. nã, ſi linguæ proprietatẽ penitus introſpicias, nõ tam ſaluatorẽ, quàm ſaluandũ ſignificare.

Præterea aliud Ieſu, aliud Ioſue eſſe exiſtimant.

Poſtremò apud Arabes biſyllabum ſcribi, & cum Ieſu conuenire ait.

Tum, ne Iudæis inuideamus, literas quaſdã interiicit noménque, quod ſimpliciſſimum ac diuinum eſt, prodigioſum facit, vt nec Hebraicum ſit, nec quicquã prorſus ſignificet.

Hæc omnia commentitia eſſe mox oſtendemus. Quod quò planius intelligi poſſit, primùm quid ſit יְהֹוָה Iehoua, videamus. Verùm animaduertendum eſt, hoc nomen יְהֹוָה Iehoua vel Ioua, quod Hebræi vocant שֵׁם שֶׁל־אַרְבַּע אוֹתִיּוֹת ſcem ſcel arbáa othiióth, nomen quatuor literarũ, vel Tetragrammaton, quod quatuor literis Iod he vau he conſtet, aliter à Iudæis pronunciari, quàm ſcribatur. Aiunt enim ſuos maiores ab ipſo vſque Moſe, cui primùm traditum eſt, ſemper pronunciare ſolitos Adonái, quod eſt Dominus: Deo tamen ſoli tribuitur, vt Adon quemlibet dominum ſignificat. Septuaginta certè Interpretes, & Apoſtoli atq; Euangeliſtæ omnes, quod

Hebraicè ſcribitur יְהֹוָה Ioua, κύριον, hoc eſt, dominū perpetuò reddūt. Quod illa oſtendūt, נְאֻם יְהֹוָה לַאדֹנִי, Neùm Ioua ladoni, Dixit Ioua Domino meo, Pſal. 110. quod Græci ſcribunt, εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου. Et, שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהֹוָה אֱלֹהֵינוּ יְהֹוָה אֶחָד׃ Scemáa Iſraël Ichouá elohénu Iehouá ehád, Deut. 6. Quod Euāgeliſtæ, vt Septuaginta, vertūt, ἄκουε ἰσραὴλ, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστιν. Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, dominus vnus eſt. Vbi vbi præterea in nouo Teſtamento κύριον vel dominum leges, abſolutè intelligendum eſt יְהֹוָה Iehoua, vel אֲדֹנָי Adonái: cùm, vt diximus, Hebræi vtrunque eodē modo pronuncient Adonái: niſi quòd Iehoua vocitant אַדְכְּרָא Adqerá, quod eſt memoratio, quaſi ſymbolū mnemoſynúmue dixeris: nēpe quòd debeamus hoc nomine audito Dei omnipotentiam in mentem reuocare. Adonái autem nominant וַדַּי vadái, hoc eſt manifeſtum, quoniam vnicuique ſanæ mentis homini manifeſtum eſt, Deum rerum omnium dominum eſſe ac moderatorē. Ego itaque, cùm præſertim authores habeamus Apoſtolos, ídq; Eccleſiæ conſenſus receperit, nomina immutanda non cenſerem. Nam ſi dominum vocemus, planiſſimè omnes intelligent: Si malimus Ioua, cauendum eſt, ne indocti offendantur nominis nouitate. Sed ad propoſitum reuertamur, quídque id nomen etymologiæ ratione ſignificet, explicemus. Nullū enim nomen Hebraicum Syriacúmue eſt, cuius etymon aliquod è Themate & grammatica analogia reddi non poſſit. Quædā porrò compoſita ſunt, ſed ſic, vt facilè radices omnes diſtinctæ cernantur, vt Gabriél, Melchiſédec, Iſraël. Abraham quoque, quod difficilius reſoluitur, componitur, vt ſcriptura docet, Gen. 17. ex אָב Ab pater, רַב rab magnus, &

הֲמוֹן hamon multitudo, quòd magnæ multitudinis pater futurus erat: ſed quia nimis durũ atque aſperum nomen eſſet, ſi diceremus אַבְרַבְהֲמוֹן Abrabhamon, eliditur b: n enim ad thema non pertinet, ac euphoniæ cauſſa pronunciatur & ſcribitur אַבְרָהָם Abraham. Sunt tamen quædam Babylonica, AEgyptiaca, Perſicáque atque aliarum nationum propria nomina, quorum etyma è ſuis quæque linguis petenda ſunt. Nomen certè Iehoua ſimplex eſt, facilémque etymi habet rationẽ. Nam thema הָוָה Hebraicè atque Chaldaicè ſignificat eſt, vel fuit: cui præfixa litera Iod nomen deriuatum format יְהוָֹה Iehouá. vt à צָחַק ſahac riſit fit יִצְחָק Iſhác, & à עָקַב acab ſupplãtauit יַעֲקֹב Iacob. Iehoua ergo ſignificat, Qui eſt, vel, vt Platonicè loquar τὸ ὂν, aut αὐτὸ ὂν, Ipſum Ens, vel Eſſentiæ Ideã: quã Dionyſius vocat τὸ αὐτὸ εἶναι. Philoſophi interdũ nominant τἀγαθὸν, vel αὐτὸ ἀγαθὸν, ipſum Bonũ, vel Ideam bonitatis. Huc facit, quòd Ariſtoteles ſiue Theophraſtus in libro de Mundo ait, ſupremum deorum omnium δία appellari à ζεὺς, nempè δι' ὃν ζῶμεν, propter quẽ viuimus, quòd ipſe omnia vegetat atque viuificat. Heſiodus quoque in eandem ſententiam cecinit in ἔργοις,

Ὅντε διὰ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοί τε φατοίτε,
Ῥητοίτ' ἄρρητοίτε διὸς μεγάλοιο ἕκητι.

Omnium authorem Iouem eſſe indicans. Quinetiã ipſa ſcriptura planiſſimè etymon exponit, cùm Deus Moſi mandata dans, quis eſſet, docet his verbis, וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים אֶל־מֹשֶׁה אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה וַיֹּאמֶר כֹּה תֹאמַר לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם Vaiiómer Elohím el Moſcé Ehiéh aſcér ehiéh vaiiómer cóh thomár libné Iſraél Ehiéh ſcelaháni alechém.

Et dixit Deus Moſi, Ego ſum qui ſum. Sic dices filiis Iſ-

raël, Sum misit me ad vos, Exod. 3. Ex quibus verbis dilucidè ac simpliciter etymologiã nominis habemus. Cùm enim Moses Dei primũ imperiũ detrectãs scire eius nomen, si id forte populus quæreret, ad quẽ legabatur, percuperet: Respondit Deus se eũ esse, qui est, hócq; suũ nomen esse. Deus quippe solus absolutè est, cætera omnia, quòd sunt, Deo acceptũ referre debent. Iam ergo planũ fecimus, simplicem esse nominis huius significatũ, vt interim omittamus acutissimè ineptas Iudæorum tricas, qui simplici sententia, hoc est historica veráque neglecta, consectantur quod nusquam est, vt apud indoctos eruditionis atque acuminis gloriam aucupentur: à doctis certè & prudentibus temeritatis atque impudentiæ opinionem reportant. Sed prætermittere non possum, quod apud Macrobium, multæ ac reconditæ doctrinæ hominem, Sat. lib. 1. cap. 18. obseruaui: qui cùm deorum omnium nomina ad vnum Deum referre vellet, hunc Orphei versiculum citat,

Εἷς ζεὺς, εἷς ἅδης, εἷς ἥλιος, εἷς διόνυσος.

Bacchus, Sol, Orcus, & Iuppiter vnus & idem.

Huius, inquit, versus authoritas fundatur Oraculo Apollinis Clarii, in quo aliud quoq; nomen Soli adiicitur, qui in eisdem sacris versibus inter cætera vocatur ἰάω. Nam consultus Apollo Clarius quis deorum habendus sit, qui vocatur ἰάω, ita effatus est,

Ὄργια μὲν δεδαῶτας ἐχρῆν νηπευθέα κεύθειν,
Ἐν δ' ἀπάτῃ παύρῃ σύνεσις καὶ νοῦς ἀλαπαδνός.
Φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν' ἰάω.

Quorum versuum hæc est sententia,

Orgia qui norunt, arcana recondere par est.
Fraudem mentis inops agitat, quem inscitia versat.

Diuorum ſummum cunctorum en accipe Iao.

Nam quid aliud quæſo per Iao intelligemus, quàm Ioua? Nam v conſonante Græci carent, vt δᾶος oſtendit, quem Dauum Latini vocant, vt ὄϊς, ouis, δῖος, diuus. Sic fecerunt ex Iao Iouem. Quanquam reclamãt Grammatici, qui à iuuando dictum volunt. Nec mirandum eſt, quî fieri potuerit, vt nomen hoc, quod Hebræi nemini præſertim peregrino committebant, à Græcis cognoſci quiuerit: Cùm oracula illa Cacodæmone magiſtro ac duce inſtituta & celebrata fuerint. Is porrò nomen illud non ignorabat.

Sed eò, vnde diſceſſimus, reuertamur, cùm iam oſtẽderimus ſimplicem ac germanam huius nominis ſignificationem, non cabbaliſticam neque commentitiam. Id quod faciendũ eſt in ſacroſancto nomine Ieſu, quod Hebraicè dicitur יֵשׁוּעַ Ieſúa. Id in ſacris Bibliis aliquoties legitur, quod ignoraſſe videtur Oſiander, qui ſemper ſcribit יְהוֹשֻׁעַ Iehoſúa, negans Ieſú vllo pacto idem eſſe, quod Ioſúe. Nos ſcimus ſummũ ſacerdotem filium Ioſadac יֵשׁוּעַ Ieſúa appellatum, atque eundem יְהוֹשֻׁעַ Iehoſua. Nomen itaque vtrunque vnũ idémque eſt: niſi Oſiandro plus fidei, quàm Ezræ atque Nehemiæ volumus adhibere. Ille contendit idem non eſſe vtrunque, hi probant. Qua in re ſuam in ſacris literis tractandis ſomnolentiam atque oſcitantiam prodit, qui ex vno ſcripturæ loco, qui mos ſciolorum eſt, ἵνα μὴ πικρότερον εἴπω, probare ſe, ídque contra omnium ſententiam, quod ſemel in animo inſedit, poſſe exiſtimat. Nos verò non è ſomniis noſtris, ſed ex vſu & ſermone prophetarum idem vtrũque eſſe aſſerimus. Nam ſacerdos ille ſummus, qui cum Zorobabele è Babylonia cum cæteris exulibus in

Iudæam

Iudæā rediit,ab Haggæo & Zacharia ſemper nominatur יהושע בן־יהוצדק Iehoſúa filius Iehoſadac, quem eundem Ezras & Nehemias vocāt ישוע בן־יוצדק Ieſua filium Ioſadác,detracta litera he:non vt hoc nomen litera vna tetragrammati defraudarēt, ſed ob linguæ Syriacæ proprietatem,de qua mox agemus.Conſtat enim Ezram & Nehemiā hiſtoriam ſcripſiſſe, cùm Iudæi iam ab exilio Aſſyriaco reducti eſſent, & lingua Syriaca loquerentur. Vulgò autē vocabatur ישוע, cùm docti ſcriberent יהושע Iehoſúa more Hebræorū. Sed ne quiſquam hæc à nobis confingi putet, verba Haggæi 1. exponamus, qui ait, היה דבר יהוה ביד חגי הנביא אל־זרבבל בן־שאלתיאל פחת יהודה ואל־יהושע בן־יהוצדק הכהן הגדול לאמר :, Haiáh deuár Iehouá beiád Haggái hānauíel Zerubbauél ben Schealthiel ben páhat Iehudáh veel Iehoſúa ben Iehoſadac haccohén haggadól lemor. Hoc eſt,Factum eſt verbū domini in manu Haggæi prophetæ ad Zorobabel filiū Salatiél principem Iuda, & ad Iehoſúa filium Iehoſadác ſacerdotem ſummum, dicens. Atque eadem orthographia in toto vaticinio vtitur,vt Zacharias quoq;.Confer nunc Ezram & Nehemiam, qui eodem ſeculo vixerūt,déque iiſdem hominibus locuti ſunt. Ezræ 2.ſic ſcribitur,

ויקם ישוע בן־יוצדק ואחיו הכהנים Vaiácom Ieſúa ben Ioſadac veehau haccohanim. Et ſurrexit Ieſus filius Ioſadac, & fratres eius ſacerdotes.Lege totum Nehemiam,ſempérque inuenies ישוע Ieſúa, יהושע Iehoſúa nunquam.Quinetiam in 2. Paralip.31. quorū author Ezras fertur,ſcribitur ישוע Ieſúa.Nempe quòd hi omnes libri poſt exilium Babylonicum conſcripti ſunt. Oſtendimus itaque non erraſſe veteres patres, qui vtrūque Ioſue vel Ieſum tam ducem, quàm ſummum ſacerdotē, vt nomen,ſic etiam

Christi typum gessisse autumant. Ob id enim Iesus vocatus est Messias Christúsue, quod est vnctus: quoniam & rex & sacerdos, qui soli vngebantur, fuit. Quinetiam Angelus Matth. 1. disertè ait Iesum nominandum esse, quòd salutem populo suo allaturus erat. Id autem significat etymon Iesu. Quæ ergo impudentia est, contradicendi studio adductum, suam sententiam, quæ solis cõiecturis, iisdémque incertis nititur, aliis omnibus insolẽtissimè anteponere? In Thalmud certè Perec Merubbe sic legimus, איקלעו לבי ישוע הכן, peruenerũt ad domum redẽptionis filii. Nam scholiastæ Iesum יֵשׁוּעַ redẽptionem & salutem interpretantur. At ex propheta, qui cap. 1. ait vocatum iri Emmanuél, argumentatur Osiander. Id enim impletũ non esse, si Christus vocetur יְהוֹשֻׁעַ Iehosúa. Qua in re satis mirari non possum hominis cõtradicendi vi abrepti, atque in angustias adacti peruicaciam. Nam si Osiandro credimus, Dei virtus tribus literis tota includitur: quæ si quid habent momenti, in nomine יְהוֹשֻׁעַ Iehosua cernuntur: alioqui nemo nisi Hebraicè doctus fidei mysteria intelligere posset, quod falsissimum est.

Quinetiam verba Prophetæ optimè cum Angeli & Euangelistæ sententia conueniunt, siquidem cap. 30. ait, Ioua est iudex noster, Ioua est præceptor noster, Ioua est rex noster, ipse saluat nos. Qui saluat ergo, quod facit Iesus Christus solus, quid aliud est, quàm Ioua, non nomine, cùm Dei virtus nominibus non comprehendatur, sed reipsa est verus Iesus saluator, iudex, præceptor, rex, & redemptor, & proptereà Emmanuel, id est, nobiscũ Deus? Vides itaque Emmanuel & Iesum idem significare, si rem, non literas spectes, quorum vtrunque

in Christo perfectè impletũ est. Sed iam cæteris respondeamus argumentis.

Quod existimat in libris alicuius authoritatis hoc nomen יֵשׁוּ Iesu scribi, falsum esse ostendit doctissimus Iudæus Abèn Ezrá, qui semper scribit יֵשׁוּעַ, lege eius in Genesin præfationem. Quinetiã Elias in Tisbi, cur aliquando יֵשׁוּ scribatur, præsertim in Thalmud, rationem affert: confitens scribendum יֵשׁוּעַ Iesúa: sed quoniam Iudæi non credunt eum esse seruatorẽ suum, ideò literam vltimam Aain abiecisse: vt hinc iam facilè alterum eius argumentum dilui possit. Sed ex vsu linguæ Syriacæ atque Thalmudicæ, quas ignorare videtur Osiander, docebimus literas gutturis, vt Hebræi vocant, præcipuè Aain, quæ omnium crassissima est, absorberi, vel potius excidere.

Cùm enim ostenderimus Iesu & Iosua idem esse nomen, si rationem vltimæ literæ Aain resectæ exposuerimus, iam nihil amplius, quod dicat, habebit Osiander. Exempla plurima producere possemus, sed paucis erimus contenti. Nam quod Hebraicè atque Babylonicè dicitur שבע seba, septem, id Syriacè & Thalmudicè vltima litera abiecta scribitur שב sab. Sic pro קְטִיעַ qetia, quod est abscissus, dicitur קְטִי qeti. quod etiam in numeris fit, אַרְבַּע עָשָׂר Arba asár, quatuordecim, אַרְבִּיסַר Arbisár.

Cùm ergo hoc nomen in libris tantùm Thalmudicis יֵשׁוּ Iesu scriptum inueniatur, quis amplius miretur, cur postrema litera resecta fuerit?

Quòd verò apud Arabes bisyllabum esse ait, & cum Iesu conuenire: id verò nos cõstanter negamus. Vt enim hoc nomen in Alcorano bisyllabum sit, non tamẽ quadrat cum Iesu, cùm scribatur עִיסַאי Isa cũ Aain, quanquã

corruptè, quomodo etiã Beelzebub, Euãgelium, Esau, in Iblis & Engil & Eles, quædã alia deprauarunt. Alii certè Arabum scriptores sæpe scribunt יָשׁוּעַ Iasúe. Nihil ergo hinc, nisi contra suam sentẽtiam, colligere potest, cùm vel Arabicè scribatur cum Aain.

Nunc veniamus ad יְהֶשׁוּה Iehesu, quod obtrudere nobis volunt, quod primùm contra Hebraicæ orthographiæ rationem scriptum esse, tum nihil significare, sed merum esse hominum cõmentum, qui cùm vt de aliis detrahant, tum vt ipsi soli sapere videantur, hæc confingunt, clarissimis probabimus argumẽtis. Sed prius ostẽdendum est, fidei mysteria locum habere etiam præter literas Hebraicas, tum ex Apostolorum authoritate, qui bona magnáque, si istos audimus, mysteriorum parte nos defraudarunt, vt qui Græcè scripserint & locuti sint: nec tamen vsquam in literis Hebraicis, sed in prophetarum, & Christi sententiis, quæ in omnibus linguis intelligi possunt, mysteria posita esse docuerunt. Tum etiam è priscorum Hebræorum sentẽtia, qui suis Iudæis permittũt, vt eam precationem, quæ apud eos non minus sacrosancta habetur, quàm apud nos dominica precatio, manéque ac vesperi qnotidie canitur à singulis, & de nomine Ioua præcipuè agit, qualibet lingua recitẽt. Ea sunt verba, quæ Deut. sexto capite leguntur, Audi Israël, Dominus Deus noster, &c. Eam precationem à primo verbo vocãt שְׁמַע scemá, Audi. Nam in Thalmud Ierosolymitano, Masséchheth Sotá, Pérec éllu neemarín, in hunc modum scriptum est, רַבִּי לֵוִי בַּר חֲוּתָא עַל לִקְסַרִין שְׁמַע לוֹן דַּהֲווֹ קָרוֹ שְׁמַע אֱלֵנִסְתִּין בְּעֵי לְעַכְּבְנוֹן שְׁמַע רַב יוֹסֵי אִקְפַּר אֲמַר מִי שֶׁאֵינוֹ-יוֹדֵעַ לִקְרוֹתָהּ אַשּׁוּרִית לֹא יִקְרָא אֶלָּא קוֹרֵא אוֹתָהּ בְּכָל־לָשׁוֹן שֶׁיּוֹדֵעַ וְיוֹצֵא יְדֵי חוֹבָתוֹ׃ Sententia hæc est, Rabbi Leui

filius Hazota aſcẽdit Cæſaream,atque audiuit eos qui recitabant ſcemá (eam ſcilicet precationem, quam ſuprà diximus)ἑλληνιστὶ, hoc eſt,Græcé. Volebat itaque eis interdicere. Quod cùm audiſſet Rab Ioſes(qui nẽpè maiore erat authoritate)iratus eſt,& dixit, Quicunque eam Aſſyriacè recitare neſcit, ne recitet. Recitãs autem ea lingua, quam intelligit, hoc pacto ſuo muneri facit ſatis. Vbi ſunt ergo iſti, qui ſuperſtitione pluſquàm Iudaica nos obligare volunt: vt ſi Hebraicè neſciamus,maxima nequeamus myſteria aſſequi? Nec tamen cõtemnenda eſt eius linguæ cognitio, cùm ad rerum origines explicandas ferè neceſſaria ſit.Sed ad Iehesu redeamus.Principio nemo linguæ Hebraïcæ doctus negarit, nullũ nomen deſinere in he antecedente ו. Quòd ſi vel vnum quiſquam protulerit,vincat. verùm nunquam id faciet, cùm ratio orthographiæ repugnet, quæ præeunte vauſuréc in quieſcentibus Lamed he poſtulat, vt he mutetur in Iod. Præterea יְהֵשׁוּה Iehesú nihil ſignificat. Nam cùm Hebraica omnia nomina Thema aliquod habeãt, Iehesu nullum habere poteſt, niſi הָשָׁה haſáh, quod nec vſquam legitur, nec quicquã ſignificat. At dicat aliquis ſignificare literas יְהוָֹה Iehouá, quæ in nomine ſparſæ ſunt.Quid ergo faciemus שׁ ſcin,quod in medio ſemper ad thema pertinet?Sed cõfugiet ad Cabbaliſtas,qui cùm præſertim grammaticæ Analogiæ repugnẽt, & rem totam incertis coniecturis frigidíſque cõmentis tractent, audiendi non ſunt.

Nec eſt quòd quiſquam Chriſti ſanctiſſimo nomini iniuriam fieri exiſtimet,ſi literas omnes Tetragrammati non habeat, quæ paſſim in hominum ignobilium,& plerunque malorum nominibus reperiuntur,nec quic-

quam tamen continent mysterii, nisi impiè ineptire volumus. Multi enim è veteribus, & nostræ ætatis Iudæis nominantur יְהוּדָה, Iuda, quorum tamen plerique fuere, & sunt perditissimi. atqui in eo nomine sunt omnes literæ Tetragrammati. Quinetiam in verbis tertiæ coniugationis, quæ dicitur הִפְעִיל hiphil, frequenter cernuntur concurrere. Multò igitur consultius, ac magis pium est, mysteria non in literis, quod Iudaicum est, sed in spiritu, quod veri faciunt Christiani, vestigare: verúmque Christi nomẽ credere esse Iesum יֵשׁוּעַ, hoc est, salutis authorẽ: siue etymon, siue linguæ Hebraicæ analogiã spectes.

De omnibus Dei nominibus, & quomodo Arabes & Æthiopes Deum nominent.

POstulare videtur rei series, vt cætera Dei nomina tam quæ diuinæ nobis literæ tradunt, quàm quibus Iudæi in suis commentariis vtuntur, exponamus. Dei enim essentiam humani ingenii angustiæ capere non possunt. Ex nominibus tamen vtcunque, atque, vt ait Paulus, per ænigma, Dei omnipotentiã prospicere possumus. Nam Deum nemo homo vidit vnquam. Hinc intelligere possumus, cur Deus Exod. 33. Mosi se videre cupiẽti dixerit, וַהֲסִרֹתִי אֶת־כַּפִּי וְרָאִיתָ אֶת־אֲחֹרָי וּפָנַי לֹא יֵרָאוּ׃ Et auferam manum meam, & videbis posteriora mea: ora autem mea non cõspicientur. Cùm enim, vt philosophi docent, duplex sit sciendi atque intelligendi Methodus: Vna, quæ à naturæ cognitis & prioribus ad nobis nota & posteriora deducitur: altera, quæ eadem via ab vltimis ad prima recurrit: è quibus illa ἀπόδειξις, hæc ἐπαγωγῇ colligitur: quis non videt, ora Dei oculis mortalibus cerni non posse, hoc est, Deum sub Apodixin non

cadere, cùm eo nihil ſit antiquius? At Dei poſteriora intueri poſſunt non omnes, ſed ii tantùm, quibus obumbrantem manum ſuam ſuſtulerit Deus. Quod princeps poëtarum Homerus non ignorauit, apud quem Ilia. έ. Diomedi cum diis congreſſuro caliginem omnem, vel vt ipſe loquitur, ἀχλυν ἣ πρὶν ἐπῆεν, Minerua abſtergit. Nam quid aliud, quæſo, eſt Dei nomina cognoſcere, quàm eum in rebus creatis, quæ diuinæ prouidentiæ ſigna ſunt, contemplari? Duo enim ſunt in Natura, Res ipſæ, & rerum ſigna, quæ nomina vocitamus. Plato quidem nomen definit Cratylo, ὄργανον διδασκαλικὸν, καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας, ὥσπερ κερκὶς ὑφάσματος. In Sophiſta nomē apertè σημεῖον appellat. Atque hoc maximè inter Deum & hominē intereſt, quòd ille res per ſe intelligit, hic nihil niſi per ſigna cognoſcere poteſt. Hoc eſt, quod Paulus vocat AEnigma: cùm in hac vita rerum ſimulacra quaſi in ſpeculo contemplemur. Hæc res errandi anſam Iudæis præbuit, qui cùm creberrimam diuinorum nominum mentionem audirent, cœperunt ſuperſtitioſè adhibitis Arithmeticis & Geometricis proportionibus, acutiſſimè delirare, vel potius cū ratione inſanire: anatomicè literas ſingulas reſecantes, reſoluentes, numerātes. Sed ſomnia ſunt, quæ ſtupidos & vanos delectare poſſunt, prudentibus certè non probantur. Apoſtoli ſanè & Chriſtus ipſe nihil eiuſmodi docuerūt: nam ignorâſſe, vt Iudæi garriunt, ſi tam alta myſteria continent, piis nefas eſt dicere. Nos igitur non Dei nomina, ſed Deum ipſum adoremus, niſi relicto corpore vmbram conſectari libet. Nam quòd in nomine Ieſu omne genu flexum iri Scriptura ait, non de literis aut vocis ſimplicis pronūciatione intelligitur: ſed de virtute, quæ per fidem

omnia agit:ad quam certè cultus is,qui audito ſacroſan-
cto nomine Ieſu, vel inſpecta veneranda eius effigie à
piis hominibus exhiberi ſolet, præcipuè referendus eſt.
Quòd verò magi diuinorum nominũ appellatione mi-
ra prodigia efficere videntur: id fit Cacodæmonis præ-
ſtigiis, qui in ea ſuperſtitione homines retinere cupit.
Alioqui ipſe quoque Satan nominibus nõ mouetur, ſed
Act.19. reſpõdet infidelibus exorciſtis,Ieſum cognoſco,
& Paulum ſcio,vos autem qui eſtis? Sed ad propoſitum
redeamus, nomináque Dei, quæ decem ſunt, recenſea-
mus.Hîc nihil dicam de ſumma denarii perfectione,qui
idem etiam eſt Tetras,& ſupremus omnium,in quo nu-
meri omnes ſimplices non poteſtate, ſed actu cernũtur:
cùm alii omnes hoc nomine imperfecti ſint, quòd ad
denariũ non peruenerint.Hæc inquam,& alia eiuſmodi
Pythagoreis relinquimus.Nomina verò hæc ſunt:

1 יְהוָה Ioua, Tetragrãmaton, de quo ſuprà dictum eſt.
2 יָה Iá,hinc halelujá.κύριος,Dominus.
3 אֵל El, ἰσχυρὸς, Fortis.
4 אֱלוֹהַ Elóah } δικαστὴς, ἄρχὸς, Iudex,princeps.
5 אֱלֹהִים Elohim }
6 שַׁדַּי ſaddái, ἄλκιμος,παντοκράτωρ, omnipotens, vel αὐ-
τάρκης,ſe contentus.
7 אָדוֹן Adón,אֲדֹנָי, Adonái,κύριος,δεσπότης,dominus.
8 אֲשֶׁר יִהְיֶה ὁ ὢν,Qui eſt.
9 אֱלֹהִים צְבָאוֹת vel יְהוָה, Adonai, vel Elohim Sabaoth,
Dominus vel Deus exercituum.
10 עֶלְיוֹן Elión,ὕψιστος,excelſus,ſummus,ſupremus.

Duo prima à themate הוה fuit,proficiſcuntur: vtrunque
tamen redditur,ὁ κύριος,dominus.Non poſſum hîc præ-
termittere, quod ſanctiſſimus ac doctiſſimus vir Epi-
phanius

phanius cõtra Anomœos ſcribit ſuper hoc nomine Iá. Sunt enim, qui perſonarum in Deo, vt loquuntur, pluralitatem ex veteri Teſtamento probari non poſſe contendunt. Cõtra quos Eſaiæ vaticinium producit, in quo cap. 26. diſertè id expoſitum eſt, בִּטְחוּ בַיהוָה עֲדֵי עַד כִּי בְּיָהּ יְהוָה צוּר עוֹלָמִים׃ quæ verba ex Origenis Hexaplis in hunc modum Græcè citat, βετχοὺ βαδωναΐ ἀδὶ ἄδ, χὶ βαΐά ἀδωναΐ σὼρ ὠλεμείμ. Et interpretatur, πεποίθατε ἐπὶ τῷ κυρίῳ ἕως αἰῶνος, ὅτι ἐν τῷ κυρίῳ κύριος ὁ στερεώσας τοὺς αἰῶνας. Hoc eſt, Cõfidite domino vſque in ſeculum, quoniam in domino eſt dominus (id eſt, In Ia eſt Iouá) qui ſtabiliuit ſecula. Quam interpretationem Hebræus nullus labefactare poteſt. Nos Theologorum prudentum iudicio rem totam committimus. Sed ad rem.

El, elohím, & elóah frequentia ſunt: El à themate איל fortem ſonat. Elohim iudicibus & magnis viris tribuitur, & angelis, vt quidam putant. Elóha aliquando in malam partem accipitur, vt notant Grammatici.

Saddái aliqui compoſitum eſſe aiunt ex ש relatiuo, & די nomine, quod eſt idoneus, ſufficiens, Græcè αὐτάρκης. natura enim Dei opis haud indiga noſtræ, verè eſt αὐταρκέστατος ac beatiſſima. Cætera facilia ſunt.

Porrò Hebræi in commentariis alia decem nomina Deo accommodant.

הַשֵּׁם Haſſém, τοὔνομα, Nomen illud κατ' ἐξοχήν, quanquam ſæpe addũt יִתְעַלֶּה extollatur, vel יִתְבָּרֵךְ celebretur.

הַשְּׁכִינָה Haſſechiná, habitatio, qua Dei præſentiam intelligimus.

הַמָּקוֹם Hammacóm, ὁ τόπος, locus ipſe. Dei enim omnia plena, vt Eſaias, Heſiodus, Aratus, & Virgilius canunt. Nã omnia, vt locus, cõplectitur, & omnẽ ipſe locũ implet.

הַשָּׁמַיִם Haſſamáim, ὁ οὐρανός, cælum. Hinc illud, Baptiſmus Iohānis vtrúmne à cælo eſt, an ab hominibus? Hoc ſecuti fortè Græci poëtæ Saturni patrem οὐρανὸν vocarunt, vt Latini Cælum.

הַקָּדוֹשׁ בָּרוּךְ הוּא Haccadós Baruch hu, ὁ ἅγιος εὐλογημένος ἐκεῖνος, ſanctus ille & laudatus.

הַגְּבוּרָה Haggeburá, τὸ κράτος, ſumma poteſtas: vt imperatorē Antoninū Oppianus appellat γαίης ὕπατον κράτος.

רִבּוֹנוֹ שֶׁל־עוֹלָם Ribbonó ſel Olam, ὁ κύριος τοῦ αἰῶνος, ἢ τοῦ κόσμου, Dominus ſeculi, mundíue.

מֶלֶךְ הָעוֹלָם Melech Haolám, βασιλεὺς τοῦ αἰῶνος, ἤτοι αἴδιος, Rex ſeculi, vel ſempiternus, vt Galli Deum vocant AEternum.

אָבִינוּ שֶׁבַּשָּׁמַיִם Abinu ſebbaſſamaim, πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, Pater noſter qui eſt in cælis, vel cæleſtis, ne terreſtrem ſomniemus.

רַחְמָנָא Rahmaná, ὁ ἐλεήμων, Miſericors.

Cæterùm apud Arabes hæc obſeruaui Dei nomina, quæ literis Hebraicis exponemus, quando characterum Arabicorum copia non eſt.

אַלְלָה Allá, vel Illé, vt Pœni pronūciāt ὁ κύριος, Dominus.

אַלְרַבּ Arabb.

קַדִיר עֲלֵי כֻּלִּ שַׁאִין Cadír alé cullí ſciáin, Potens ſupra omnem rem, omnipotens, παντοκράτωρ.

אַלְרַחְמַן אַלְרַחִים Arrahmán arrahím, ἤπιος καὶ ἐλεήμων, mitis & miſericors.

Allá componitur ex articulo al, quod eſt ὁ, & pronomine lah, id eſt, ei: nomē ergo ſignificat eū, cuius omnia ſunt, qui omnia habet. Id Hebraicè diceretur אֲשֶׁר לוֹ Aſcér ló, vel vno verbo שֶׁלּוֹ ſcelló. Hoc etymon mirificè conſentit cum verſione Septuaginta, qui locum illum

Gen.49.in vaticinio Iacobi de Chriſti aduentu, Nō auferetur ſceptrum à Iuda, nec legiſlator è medio pedum eius, donec veniat qui mittendus eſt: ſic reddunt, ᾧ τὰ ἀποκείμενα, ille cui ſunt repoſita, omnia videlicet. Hebraicè ſcribitur עַד כִּי יָבֹא שִׁילֹה. Quod Onchelus vertit מְשִׁיחָא דְדִילֵהּ הִיא מַלְכוּתָא, Meſſias, cuius eſt regnū. Vtrique legerunt שֶׁלֹּה ſcelló, id eſt, אֲשֶׁר לוֹ. Nā ה ponitur pro vau, vt mox עִירֹה, & סוּתֹה pro עִירוֹ & סוּתוֹ. Sic Deut.34. לֵחֹה pro לֵחוֹ. Noſter interpres legiſſe videtur heth, nec tamen video, cur interpretari potuerit, Qui mittendus eſt: niſi fortè legit שְׁלֻחַ. Mihi tamen שֶׁלּוֹ, quod Septuaginta & Chaldæus paraphraſtes ſecuti ſunt, magis placet. Id enim multò melius eſt, quàm Siló oppidum frigida planè abſurdáque ſententia accipere. Nam quod quidam Hebræi ſomniant Sil filium eſſe, vt ſit, Donec veniat filius eius: quanquam plauſibile videtur, cùm coniectura tātùm nitatur, non probo. Illud verò שֶׁלּוֹ Chriſto optimè congruit, cui data eſt poteſtas omnis in cælo & in terra, vt Scriptura teſtatur.

Nomina, quibus Deū appellant AEthiopes, hæc ſunt,

אְמְלַךְ Emlác.

אְגְזִיאְ Eghzía.

אְגְזִיאַבְּחֵר Eghziabhér.

Vbi nemò miretur duo Seuain initio ſcribi: quod cū Hebraica orthographia non recipiat, AEthiopica familiariter vſurpat.

Emlác, ὁ βασιλεύς, Rex ille: quod mihi ab Hebræis mutuati fuiſſe videntur, qui regem Mélech vocant, qui AEthiopicè nominatur נְגוּשׁ Negús.

Eghzia, אָדוֹן, ὁ κύριος, Dominus.

Eghziabhér cōponitur ex Eghzia domino, Ab patre,

her bono : quod eſt dominus pater bonus : vt illi AEthiopes,qui Romæ habitant,interpretantur.

De צָעִיר *ſair apud Micheam,&, Nequaquam minima es, apud Matthæum.*

ADmonuit me hoc loco Euangelii ordo, & rei diffi cultas, vt de controuerſo illo atque perplexo loco Matthæi,quo Micheæ vaticinium adducitur,aliquid diceremus : cùm vt ſcrupulum moleſtiſſimum,qui maximos ac doctiſſimos viros torſit, ſi fieri poſſet, eximeremus : tum etiam vt D. Hieronymi authoritatem,quanquam is nec noſtro,nec mortalis cuiuſquam patrocinio indiget, tueremur : quam omnibus admotis machinis quidam labefactare atque euertere conantur. Sic enim agunt, vt inuidioſa Hieronymi cum Euangeliſta Matthæo collatione propoſita,illum potius, quàm hunc,lapſum eſſe credamus. Ac neminem quidē eſſe arbitror, qui non plus Matthæo tribuat, quàm Hieronymo : non tamen propterea erraſſe eum hoc loco perſuaderi nobis poterit.Nam mancum & imperfectum eſt Oſiandri argumentum, quo neceſſariò vel Matthæum, vel Hieronymum hallucinatum fuiſſe colligit: Nos neutrum erraſſe planiſſimè oſtendemus.

Vt longè ſincerius & candidius fuerit dicere, Neſcio, quàm cōtra Chaldæum paraphraſten, Hebræos omnes, & poſtremò D. Hieronymum,incertam & commentitiam,atque,vt probabimus,falſam interpretationē confingere. Nec erat,ſi vera narraſſet,cur inuidiam & calūniatrices obtrectationes reformidaret. Veritatem enim, quæ initio premitur inuidia, AEſchyli Tragici exemplo, τῷ χρόνῳ ἀνατιθέναι δεῖ, Tempori nēpe cōſecrare oportet.

Vt contrà, commenta aliquandiu ſpecie veritatis ſe venditantia, ad extremum conuincuntur mendacii. Sed ad rem redeamus. Primùm tamen omnes rogatos volumus, vt rem ipſam potius, quàm perſonam inſpiciant, atque ita ſententiam noſtram legant, vt à nobis hæc omnia dici ſibi perſuadeant, quò literarum Hebraicarum vtilitas elucescat, & iudiciorum temeraria præcipitatio cohibeatur. Ac primò verba prophetæ Mich. proponamus, qui cap. 5. in hũc modũ ait, וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל׃. Quæ D. Hieronymus ſic reddidit Latinè, Et tu Beth lèhẽ Ephratha paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël. Chaldæus autem paraphraſtes hoc modo, וְאַתְּ בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה כִּזְעֵיר הֲוֵיתָא לְאִתְמְנָאָה בְּאַלְפַיָּא דְבֵית יְהוּדָה מִנָּךְ קֳדָמַי יִפֵּק מְשִׁיחָא לְמֶהֱוֵי עָבֵיד שָׁלְטָן עַל יִשְׂרָאֵל׃ hoc eſt, Et tu Beth lèhẽ Ephratha ferè paruulus es, vt recẽſearis inter Chiliadas domus Iuda. Ex te mihi prodibit Meſias, vt fiat imperator ſuper Iſraël. Matthæus autem ſententiam potius, quàm Prophetæ verba conſiderans, vt qui ſciret diuina myſteria non in ſyllabarum ſuperſtitioſa enumeratione, ſed in ſententiæ eiuſdem, quanquam verbis paululum immutatis, concordia poſita eſſe, ſic expoſuit, cap. 2. Καὶ σὺ βηθλεέμ γῆ ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν ἰούδα. ἐκ σοῦ γὰρ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν ἰσραήλ. Quod Latinè eſt, Et tu Beth léhem terra Iuda haudquaquam minima es inter duces Iuda. Ex te enim mihi egredietur dux, qui reget populũ meum Iſraël. Hic diuino prorſus conſilio Euangeliſtam poſtrema prophetæ verba, Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis, omiſiſſe, cùm Chriſti diuinitatem atque æternitatem diſertiſſi-

mè loquantur, præteriſſe videmus. Nempe quia ad rem non faciebant: cùm non quis, quantúſue Chriſtus foret, ſed vbi naſci deberet, quæreretur. Præterea pro Ephratha, vertit, terra Iuda, quoniam dilucidior narratio futura erat. Tum pro chiliadibus vel millibus (quod Hebræi tantùm intellexiſſent, apud quos populus per chiliades oppidatim diſtribuebatur ſub ſuo Tribuno, vt Gedeon oſtendit, cùm Iud.7, Deo reſpõdet, אַלְפִּי הַדַּל בִּמְנַשֶּׁה, Mea, inquiens, Chilias inter Manaſſeas tenuiſſima eſt) ſcripſit, Duces: quod facilè omnes intelligunt. Illud verò, qui ſit dominator in Iſraël, fuſius explicauit, Dux qui reget populum meum Iſraël. Vbi ergo ſunt, qui Euãgeliſtis obganniunt, quòd perperam verba prophetarum citent, ſi vel vna ſyllaba inuerſa fuerit? Qui mihi Iudaica ſuperſtitione, non Chriſtiana libertate delectari videntur.

Nunc cur, quóq; modo, aiente Propheta, neget Euangeliſta, cùm idem vterque ſentiat, aperiendũ eſt: ſi prius Oſiandri commentum confutauerimus. Is enim, vt Hebraicè ſolus ſcire videatur, verbum צָעִיר ſaír, id eſt, paruulus, in quo totus controuerſiæ cardo vertitur, contra omniũ, vt ipſe quoque fatetur, ſentẽtiam, interpretatur, Parum eſt hoc modo, Et heus tu Bethlahema ephratha, parũ eſt vt ſis inter Chiliadas ſeu Chiliarchos Iudæ, &c. Quam interpretationem ſi abſurdam & falſam eſſe oſtenderimus, alia quærenda nobis erit.

Principio non eſt idem, parum eſt vt ſis, & haudquaquam es: quod omnes vel mediocriter docti facilè dabunt. Tum conſtanter aſſerimus צָעִיר ſaír in lingua Hebraica nunquam ſignificare parum: ſed paruulum vel minorem, præſertim ætate vel dignitate: quomodo Arabicè צָגִּיר çaguer dicitur cum Aain notato vnico pũctu-

lo,idémque eſt prorſus, quod Hebraicū צָעִיר, vt Hiſpani intelligunt, qui paruum vel non primogenitum el caguero vocitant. Verùm parum, Hebraicè dicitur מְעַט meát. Cæterùm,ne id comminiſci videamur, proferamus locos omnes Bibliorum, vbi legitur צָעִיר ſaír, vt etiam curioſis ſatiſfiat.

Vocabulum hoc viginti & vno tantùm locis in vtroque genere reperitur.

De filia minore Lot,Gen.19.ter legitur הַצְּעִירָה hacceirá. De Iacob,25. Et maior ſeruiet צָעִיר ſaír minori. De Rachel, 29. Quæ minor natu, quàm Lea erat, legimus הַצְּעִירָה, haſſeirá. De filiis Iacob minoribus natu,43. צָעִיר ſaír. De Ephraím,45. qui minor natu erat ipſo Manaſſe, הַצָּעִיר haſſair. De eo,qui dirutam Ierichuntem reficeret, cui imprecatur Scriptura,Ioſ.6.&3.Reg.16.Vt in primogenito iaciat vrbis fundamenta, & בִּצְעִירוֹ biſiró in natu minimo portas erigat. De Gedeone,Iud. 6. qui ait,Ego הַצָּעִיר haſſáir natu minimus in domo patris mei ſum.De Saul,1. Reg.9. qui inquit, Et cognatio mea הַצְּעִירָה haſſe ira minima eſt (dignitate ſcilicet) inter omnes cognationes Beniaminiarum tribuum.Iob,30.loquitur,צְעִירִים ſeirim minores me diebus vel natu me rident.Et Elihu, Iob 32. צָעִיר Sair, inquit, minimus natu ſum. Beniamin, Pſal.48. ſair natu minimus regit eos. צָעִיר, Pſal. 119. ſair Paruus ego ſum & deſpicabilis. Paruus euadet in mille, Eſa.60. & הַצָּעִיר minimus in gentem potentem. & Iere. 14.potentes eorum miſerunt צְעִירֵהֶם ſeirehem paruulos ſuos ad aquas. Euerſa eſt Moab, Ierem.48.& clamorem ſuſtulerunt צְעִירֶיהָ ſeireha paruuli eius. Niſi lingent eos צְעִירֵי ſeire paruuli gregis, Ierem.49. צָעִיר Paruulus es in millibus Iuda,Mich.5.

Et Zach. 13. referam manum meam ad צְעִרִים ſoarim paruulos, vel non primogenitos.

Hi ſunt loci omnes, in quibus hoc verbum legitur. Proferat ergo Oſiander, aut alius quilibet vel vnum locum, vbi ſaír accipiatur pro parum, & triumphum agat.

At, dicat aliquis, iſtud non eſt nodum ſoluere, ſed nectere perplexius.

Diſpiciamus itaque qua ratione aientem prophetæ propoſitionem cum negante Euangeliſtæ cōponamus. Quod planius percipietur, ſi ſuperiora Prophetæ verba repetamus. In eo enim maximè errat Oſiander, quòd poſteriorem orationis partem prioris rationem eſſe putat. Cùm apud Prophetam non αἰτιολογία ſit, ſed ἐναντιωματικῶς dicatur, vt perſpicuè apparebit.

Propheta cùm ſuprà de Iudæorum exilio, de reductione eorum, atque Babyloniorum clade & excidio copioſè locutus eſſet, poſtremò cap. 5. ait,

Nunc vaſtaberis filia Turmæ (id eſt, Babylon bellicoſa, vel, vt quidam volunt, Ieruſalem) quæ obſidione nos cinxit, virga pulſarunt mālā iudicis Iſraël. Et tu Beth lĕhem Ephratha minimus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.

Hic nemo non videt vrbis potentiſſimæ, ſiue ea Babylon, ſiue ſit Ieruſalem, collationem cum obſcuro atque ignobili oppido à propheta proponi.

Tu, inquit, vrbs potentiſſima euerteris, ídque propter tua flagitia, quòd obſidione nos cinxeris, & iudicis Iſraël mālam baculo pulſaueris. Tu autem Beth lĕhem minimus quidem es, vel minimum atque obſcuriſſimum oppidum in Chiliadibus Iuda: ex te tamen naſcetur Chriſtus. Deus enim deturbat potentes de ſede, & extollit

abiectos.

abiectos. Hanc veram ac germanam esse Prophetæ sententiam nemo cõmuni sensu præditus, & in sacris literis vel mediocriter versatus, negauerit. Sed illud ostẽdamus oportet, cur Propheta non addiderit, Tamẽ: quod nos intelligendum esse asserimus tam ex ipsa sententiæ consecutione, quàm è sermonis Hebraici proprietate: qui particulas quasdam interdum omittit, quæ tamẽ ad sententiam, si in aliam linguam vertantur, omnino faciunt. quod vno aut altero exemplo commonstrãdum est. Dauid loquitur, Psal. 119. ogd. 18. צַר וּמָצוֹק מְצָאוּנִי מִצְוֹתֶיךָ שַׁעֲשֻׁעָי, Angustia & ærumna inuenerũt me, præcepta tua deliciæ meæ sunt. Quis hîc non videt addendum esse, Tamen? Contrà, si quis addat, Quia, vt in Propheta facit Osiander, impia erit sententia: nec enim Dauidi obseruata Dei præcepta quicquam aduersi obtigit. Mox idem ait, רַבִּים רֹדְפַי וְצָרָי מֵעֵדְוֹתֶיךָ לֹא נָטִיתִי, Multi sunt insectatores mei & aduersarii mei, à testificationibus tuis non declinaui. hîc iterum intelligendum, Tamen.

Exposita Prophetæ sententia, Euangelistæ verba perpendamus. Ille enim ita scribit, tu es minima, Tamẽ ex te prodibit Christus: hîc verò ait, Tu haudquaquam minima es: ex te enim exibit Christus. Quæ duæ orationes idem prorsus loquuntur. Nisi quòd Euãgelista, qui illius collationis Propheticæ priore parte non indigebat, nec erat cur de Babylone vel Ierosolymis loqueretur, posteriorem partem, quæ ad rem faciebat, dilucidius quàm Propheta explicauit, addita ratione: Propheta idem sentiens alio modo orationem disposuit, sed paulò obscurius. Hanc interpretandi rationem adeò veram esse credo, vt neminem tam impudentem aut præfractum esse existimem, qui eam audeat conuellere.

Alioqui ἔφημι οὐκ ἐπὶ τὸν καίσαρα μὰ Δία, ἀλλ' ἐπὶ τὸν χρόνον, quod Cæſare longè eſt potentius. Vbi ſunt ergo qui è muſca elephantum faciunt, & Euangeliſtarum authoritatē, quæ omnibus ſacroſancta eſſe debet, ex vno verbulo in diſcrimen adducunt? Vbi ſunt qui non tam Euāgeliſtarum amore, quàm odio Patrum, illorum defenſionem cum horum accuſatione coniungunt?

De Hoſanna.

INuitat nos celeberrima in Euangelio vox Hoſanna, vt rei originem paucis exponamus, in qua ſibi adeò placet Oſiander. Cui quidem non refragaremur, niſi loci obſcuritas nos propemodū cogeret, quæ neſcio quos ſic delirare fecit, vt interpretarentur, Hoſanna fili ô Dauid: vt eſſet caſus vocandi.

Habet enim hæc res controuerſiæ aliquid, quæ exponenda ac componenda eſt. Aliter enim vox hæc apud vetuſtiſſimos Hebræorum ſcriptores accipitur: aliter intelligitur à recentioribus in precationum libello, quem ſecutus eſt Oſiander. Qui rectè ait in feſto tabernaculorum cani à Iudæis litanias quaſdam, populo identidem reſpōdente, Hoſanna. Quodam enim loco ſic ſcribitur,

כְּהוֹשַׁעְתָּ אֵלִים בְּלוּד עִמָּךְ
בְּצֵאתְךָ לְיֵשַׁע עַמָּךְ
כֵּן הוֹשַׁעְנָא :

Vbi proculdubio Hoſanna ſignificat, Serua quæſo, vel Salua nunc.

Sed ſi hoc recipimus, vt nobis author eſt Oſiander, quomodo, quod in Euangelio legimus de voce turbæ clamantis, Hoſanna filio Dauid, aptè exponemus? Nam Græcè ſic ſcriptum eſt, καὶ οἱ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκο-

λουθοῦντες ἔκραζον λέγοντες, ὡσαννᾶ τῷ υἱῷ δαβίδ. Et turbæ præeuntes & ſequentes clamabant dicentes, Hoſanná filio Dauid. Si enim Hoſanna ſignificat, ſalua quæſo, quid erit, Salua quæſo filio Dauid? Atque hunc nodum, quod ſciam, nemo hactenus ſoluit. Non nego apud Hebræos eſſe precationem, quæ dicitur הוֹשַׁעְנָא גְּדוֹלָה Hoſanna magnum: ſed quæro quomodo intelligẽdum ſit, Hoſanna filio Dauid. Iudæorum quidem recentiorum, qui ſuam linguam non intelligunt, authoritas Chriſtianis magni facienda non eſt. Videamus itaque quid Hoſanna apud priſcos Iudæos, quorum plerique Chriſti ætate vixerũt, ſignificet. Sed prius oſtendendum eſt vocabulum hoc Hebraicum eſſe non poſſe, ſiue nomen ſit, ſiue verbum. Ac nomẽ quidem Hebraicum non eſſe, vel qui primoribus labris Hebræorum fontes deguſtarint, facilè concedent. Aleph enim vltimum planiſſimè id nos docet, quod in hac voce ad thema non pertinet: cùm, ſi Hebraicum nomen eſſet, neceſſariò in themate futurũ fuerit. Verbum verò quî quæſo erit, ſi analogiam modò ſeruare volumus? נָא Na enim cum Hebraicis verbis nunquam componitur, præſertim cùm ratio coniugationis poſtulet הוֹשַׁע vel הוֹשִׁיעָה Hoſea vel hoſiah, vt in Pſalmis legimus. In Ieremia tamen cap. 31. legimus, הוֹשַׁע יְהוָה אֶת־עַמְּךָ Hoſá Iehoua eth ammecha. Salua domine populum tuum. Dixerit hic aliquis corruptum eſſe, vel potius per ſyncopen contractum, vt Elias docet. Ait enim ex הוֹשִׁיעָה נָא hoſiáhná, quod crebrò canebant Iudæi in feſto tabernaculorum, factũ eſſe breuitatis cauſa הוֹשַׁעְנָא Hoſanna, quod mihi non diſplicet.

Nec eſt quod quidam, qui vix Hebraica elementa callent, verbum Euangeliſtarũ Hoſanna, in Hoſianna mu-

tent. Addit enim Elias hanc rationem, vt vnam vocem eſſe intelligamus: quòd faſciculos ſalicum fluuialiũ ob crebras Iudæorum vociferationes, qui identidẽ reſponſabant Hoſanna, iam vocent omnes Hoſannas. Quod mirificè cum Thalmudicorum vſu conſentit, qui vt in myſteriis plumbei ſunt, ſic linguæ ſuæ proprietatem atque elegantiam accuratè ſeruant. Audiamus ergo quomodo in Thalmud vocabulum hoc accipiatur. In perec Lulab haggazul ſic legimus, אֲמַר לְהוֹ רַבָּא לְהַנְהוֹ דְגַדְלֵי הוֹשַׁעְנָא דְבֵי רֵישׁ גָלוּתָא כִּי גָדְלִיתוּ הוֹשַׁעְנֵי עֲבִדוּ לְהוֹ בֵית יָד׃ Dixit Rabbi illis, qui nectũt Hoſannã domus AEchmalotarchæ, vel principis exulum (is erat inſignis quidã Iudæus) cùm nectitis Hoſannas, facite eis manubrium.

Mox etiã ſcribitur, אֲמַר רַבָּא לָא לִגְוֹז אֱנִשׁ לְלִבָּא בְהוֹשַׁעְנָא Dixit Rabbá ne decacuminet quiſquã ſpatulam vel ramum palmæ in Hoſanná. Nemo hîc non videt Hoſanna pro vno ac ſimplici nomine vſurpari, quod omnes Gloſſographi ſalicem ſignificare vno ore aſſerunt. Porrò quoniam ſalices paſſim inueniuntur: cedri, palmæ, myrtíque non item, obtinuit vſus, Quẽ penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi, vt omnium arborum rami, quos in feſto Scenopegion Hebræi geſtabant, ſubinde clamantes Hoſanna, id nomen nanciſcerentur. Quod etiam in ſecundo Thargum Eſtér, cap. 3. ſcribitur, וְעָבְדִין, לְהוֹן הוֹשַׁעְנָא, Et faciũt ſibi Hoſãna: & mox, וְהָדְרִין בְהוֹשַׁעְנָא, Et circumeunt cum Hoſanna, vbi apertè intelligitur ſalicum, aliarúmue arborum faſciculus.

Vt etiam Galli in feſto palmarum, cùm propter cæli intemperiem oleas, cedros, myrtóſue non habeant, buxeos ramos geſtare ſolent. Iam itaque intelligi poteſt, cur turbæ Chriſtum aduentantem hoc elogio excepe-

rint,fatentes ſe Hoſanna,hoc eſt,ſalicum,palmarum, aliarúmq; arborum ramos ferre filio Dauid,eúmq; Deum ac Meſſiam agnoſcere: quod tantopere Phariſæos offendit. Quandoquidem hæc vox Deo ſoli conuenit: non, vt quidam ſomniant,eſt ſalutatio, qua reges Iudæi compellabant, vt illa vulgaris,Viuat rex. Vox itaque, ſi etymon quærimus, ſignificat ſalua nunc, vel ſalua quæſo,quod Græci dicunt,σῶσον δή.Vſus verò nominis de ſalice, aliíſque arboribus, quarum ramos, Leu. 23. geſtare iubentur Hebræi,intelligitur.

Vtrunque optimè conuenit Chriſto Dei filio, quod Deo tribuebant Hebræi. Nam & rectè clamamus Hoſanna,vt nos ſaluet,qui ſalutis ſolus author eſt:rectè etiã manibus geſtamus Hoſanna filio Dauid,vt victorem ac triumphantem ouantes ipſi comitemur.

De *Amen.*

RECeptum in primitiua Eccleſia fuiſſe Paulus 1.Cor. 14.oſtendit,vt populus poſt recitatas preces reſponderet, Amen:quod neminem rectè dicere ait,qui preces non intellexerit. Cui valdè conſentanea ſunt, quæ in libris Thalmudicis leguntur.Sed prius explicãdum,quid ſignificet Amen, quod Septuaginta vertunt, γένοιτο, fiat. Nonnulli interpretantur,confirmetur, ſtabiliatur,quaſi יֵאָמֵן, reſecta prima litera, quæ ad thema non pertinet. Quod ſi recipimus,dura erit verborum illorum ſententia, Amen amen dico vobis. Mihi quidem eſſe videtur aduerbium affirmantis, verè, quod addita paragoge he dicitur אָמְנָה.Symmachus rectè vertit,πεπιστωμένως.

Thalmudici itaque ſuorum hominum ſomnolẽtiam carpentes,triplex dicunt eſſe Amen, יְתוֹמָה Iethoma pu-

pillum, חֲטוּפָה ſurreptitium, & קְטוּעָה ſectile. Nam in Maſſécheth Beracho'th Pérec ellu debarim, ſic legimus,

אֵיזוֹ הִיא אָמֵן יְתוֹמָה רַב הוּנָא אָמַר הֵן הֵן דִּמְחַיֵּב לִבְרָכָה וְלֹא יָדַע מָה הוּא עָנֵי חֲטוּפָה שֶׁחָטַף וְאָמַר אָמֵן קוֹדֶם שֶׁתִּכְלֶה הַבְּרָכָה קְטוּפָה שֶׁקָּטַף לִשְׁנַיִם׃

Quódnam eſt Amen pupillum? Rab Heuna ait, Eſt cùm quis precatione tenetur, nec intelligit, quod reſpõdet. Surreptitium, cùm ſurripit, & dicit Amē, antequam abſoluatur precatio. Sectile, cùm ſecat in duas parteis, nempe oſcitanter audiens, & alias rés agens.

Præterea in Maſſécheth Succá ſcriptũ eſt, בֵּימָה שֶׁל־עֵץ בָּאֶמְצַע וְחַזַּן הַכְּנֶסֶת עוֹמֵד עָלֶיהָ לִקְרוֹת בַּתּוֹרָה וְהָיָה הַמְּמֻנֶּה מֵנִיף בְּסוּדָרִין וְהֵן עוֹנִין אָמֵן׃

Suggeſtus ligneus in medio erat, & lector Synagogæ in eo ſtabat, vt legem recitaret. Porrò ſynagogæ præfectus ſudarium circumagebat, & ipſi reſpondebant, Amen.

Is enim mos diu permanſit in Eccleſia, vt populus frequens preces & cætera, quæ in Eccleſia recitabantur, audiret, tum reſpõderet Amen. Quod facit populus Iſraël, Deut. 27. Moſe Dei mandata exponente. Atque vtinam noſtri quoque homines in Eccleſia Amen non pupillũ, non furtiuum, non ſectile, ſed legitimũ ac pium reſponderēt. Sic enim fieret, vt & attentius ſacra verba audirentur, & intelligerentur exactius. Sed de his hactenus.

De Rabbi, Rabboní, & cæteris.

FRequentiſſimum eſt in Euangeliis hoc vocabulum: ſed quoniam vetat Chriſtus, ne quis vocetur Rabbi, nec Pater, explicanda eſt huius rei ratio, quæ certè intelligi non poteſt niſi è libris Thalmudicis. Legimus enim

in Euangelio Abá, Rabbí, Rabboní, & apud Paulũ Marán. In Thalmud hæc omnia reperiuntur, & præterea Rab, Rabbán vel Rabbaná, & Abái, quæ omnia ſunt nomina dignitatis. Ac primùm agemus de Rabbon רַבּוֹן, & מָרַן Maran, quæ ſoli Deo propriè tribuuntur.

Rabbon Syriacum verbũ eſt, dominum non quemlibet ſignificans, ſed qui *αὐτοκράτωρ* eſt, vel, vt iuriſcõſulti loquuntur, qui merum habet imperium.

Hebræi in commẽtariis, & Miſná ſiue Deuteroſi ſcribunt רִבּוֹן ribbon, vt illud creberrimum dictum oſtẽdit, רִבּוֹנוֹ שֶׁל עוֹלָם, dominus mundi, quo Deum deſcribunt.

Quæ enim Hebraicè initio habent i, ea Syriacè cum a pronũciantur. Quod dilucidè cernas licet in Mariam, quæ Hebraicè dicitur Miriam. Et Migdal Syriæ oppidũ, Syriacè eſt Magdal, vt Herodotus docet, qui *μάγδαλον* ſcribit. Sic quod Hebræi dicunt Ribbon, Syri Rabbon pronũciant. Propterea Maria Magdalene Syriacè Chriſtum, qui iam reſurrexerat, ſalutauit Rabboní, hoc eſt, Mi domine: Deum ſcilicet agnoſcens, cùm ante mortẽ nemo eum vocauerit Rabboní, ſed magiſtrum, id eſt, Rabbí, & dominum, hoc eſt Mará.

Sic Maran, quod eſt dominus noſter, Deo tantùm accommodatur. Hoc tamẽ intereſt inter Rabbon & Maran, quod illud ſonat *κύριον*, hoc *δεσπότην*: illo intelligimur filii, hoc ſerui. Vt pater filiorum ſuorum *κύριος* eſt, ſeruorum *δεσπότης*.

Hinc Paulus cùm ſolennia anathematis verba pronũciat, Syriacè dicit, מָרַן אֲתָה Maran athá, dominus noſter (cuius ſcilicet ſerui ſumus) venit. Id Hebraicè ſcribendũ fuerat אֲדֹנֵנוּ בָא.

Cæterorũ nominum ratio in libris Thalmudicis ex-

poſita eſt. Rabbi Nathan inſignis doctor ea ſic colligit, רַבִּי מֵחַכְמֵי אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל הַסְּמוּכִין שָׁם בְּסַנְהֶדְרִין שֶׁלָּהֶם דְּאָמְרִין לְעִנְיַן סְמִיכַת זְקֵנִים דְּסָמְכִין לֵיהּ וְקָרוּ לֵיהּ רַבִּי וְיָהֲבִין לֵיהּ רְשׁוּתָא לְמֵידַן דִּינֵי קְנָסוֹת. וְרַב מֵחַכְמֵי בָּבֶל הַסְּמוּכִין בִּישִׁיבוֹת שֶׁלָּהֶן וְהַדּוֹרוֹת הָרִאשׁוֹנִים שֶׁהָיוּ גְּדוֹלִים מְאֹד לֹא הָיוּ צְרִיכִין לְרַבְּרְבָם לֹא בְּרַבָּן וְלֹא בְּרַבִּי וְלֹא בְּרַב אֶלָּא בִשְׁמָא גְּדִירָא לְחוֹדֵהּ׃. Quorũ verborũ hæc eſt ſententia, Rabbi tribuitur ſapiẽtibus terræ Iſraël, quibus impoſita fuit manus illic in conciliis eorum : quod dicũt propter impoſitionem manuum ſeniorum, qui imponunt alicui manum,& vocant eum Rabbí,quod eſt Magiſter mi,& faciũt ei poteſtatẽ cognoſcẽdi cauſas mulctatitias.

Rab autem eſt ſapientum Babyloniæ (Rabbinorum ſcilicet exulum) quibus impoſita eſt manus in ſcholis eorum . At homines Priſcæ ætatis, qui maximi erant ac præſtãtiſſimi,nõ opus erat vt magiſtrarẽtur per Rabbán, quod eſt magiſter noſter, nec per Rabbi, nec per Rab, ſed ſolo ac ſimplici nomine appellabantur.

Alio etiam loco legitur, גָּדוֹל מֵרַב רַבִּי וְגָדוֹל מֵרַבִּי רַבָּן וְגָדוֹל מֵרַבָּן שְׁמוֹ׃. Hoc eſt, Rabbi maior quàm Rab,& Rabbán maior quàm Rabbí, maior tamẽ quàm Rabban,eſt qui ſimplici nomine appellatur.

Et alibi, מָר מֵחַכְמֵי רָאשֵׁי הַגָּלִיּוֹת שֶׁבְּבָבֶל וְרַבָּנָא מֵחַכְמֵי בֵית דָּוִד אַבַּי וְאַבָּא מֵחֲכָמִים וּזְקֵנִים׃. Quod eſt, Mar, id eſt, dominus tribuitur ſapientibus AEchmalotarchis vel principibus exulum,qui ſunt in Babylonia.

Rabbaná dominus noſter,ſapientibus domus Dauid. Abái & Aba, hoc eſt, Pater mi,& Pater, ſapientibus iam ſenibus.

Ex his facilè horum nominum ratio atque ordo cognoſci poteſt : & mos præterea manuum impoſitionis, qui hodie quoq; apud Hebræos ſeruatur in Rabbinorũ,

vt

vt vulgo loquuntur, promotione. Hinc etiam cernere licet, cur interdicat Christus, nequis nominetur Rabbí, nec Pater. Vnus enim est verus Rabbí, magister & doctor noster Iesus Christus: Vnus pater, à quo adoptati fratres Christi eius merito efficimur.

Nec velim quisquam hæc à me in alicuius ordinis cõtumeliam dici putet, cùm authoritatis conciliandæ causa, ne passim omnes vel insulsa, vel impia tradant, necessaria propemodum in Ecclesia sit dignitatis ac titulorum vsurpatio.

De Raca, Mammona, & Concilio.

DIV ac multùm magnos etiam Theologos exercuit locus ille Matth. 5. de Raca & Concilio: qui ad mores Hebræorum & publica iudicia pertinet, vt ex eorum libris debeat explicari. Sed præstat Euangelistæ verbā proferre in medium.

Audistis, inquit Christus, quòd dictũ est antiquis, Non occides. Qui verò occiderit, obnoxius erit iudicio. At egò dico vobis, quòd omnis qui irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit iudicio: Et quicunque dixerit fratri suo Racá, reus erit Cõcilio. Qui autem dixerit fratri suo Fatue, reus erit gehennæ ignis.

Hîc considerandum est quid sit Iudicium, quid Concilium, quod Græcè est συνέδριον, quid Racá, & postremò cur dixerit, Audistis. Nam cùm quasi delictorũ gradus constituerit Christus, vt grauius peccet qui dixerit Fatue, quàm Racá, quærenda eius rei ratio est. Porrò vt hæc omnia, quæ ad Hebræorum mores pertinent, planius intelligi possint, de iudiciorum ratione paucis agẽdum est. Ea verò depromi non potest, nisi è libris Thal-

mudicis, in quibus iura omnia humana & diuina Iudæorum expoſita ſunt.

Extat itaque in Thalmud Maſſécheth סנהדרין, id eſt, συνεδρίων vel cōciliorum. Quod ita eſſe qui Græcè & Syriacè ſciunt, facilè concedent. Solent enim Græca verba in Thalmud & commētariis aliis, præſertim vbi Hebraicum non reperitur, vſurpare, vt illa oſtendunt, קפלין καπηλεῖον caupona, אסרין ἀσσάριον Aſſis, אנטיפתא ἀνθύπατος proconſule, הגמון ἡγεμὼν Dux, סנקליט σύγκλητος Senatus, טרקלין τρικλίνιον triclinium, פרהסיא παῤῥησία liberè, עמילן ἄμυλον Amylum, הדרוולוס ὕδραυλος hydraulus, aliáque ſexcenta, quæ afferre poſſem. In quibus accuratè Græcæ orthographiæ ratio ſeruata eſt, vt apparet in ἡγεμὼν, παῤῥησία, & συνέδριον: vt ne accentum quidem denſum prætererire voluerint.

In eo igitur libro Synhedrion, quæ à iudicū conſeſſu id nomen inuenerunt, legimus Iudiciorum genera duo eſſe, quorū vnum vocant דִינֵי מָמוֹנוֹת Dinè Mamonóth, alterum דִינֵי נְפָשׁוֹת Dine Nephaſóth, id eſt, Iudicia pecuniarum, & iudicia animarum: Latini iureconſulti iudicia pecuniaria, & capitalia vocarent. Porrò Iudicū claſſes tres ſunt. Prima dicitur בֵּית דִין שֶׁל־שְׁלשָׁה, Beth Din ſcel ſceloſciá, domus iudicii triumuirûm, ad quam minores cauſæ, vt furti, iniuriarum priuatarum, malæ tractationis, ac denique Dine Mamonoth deferebantur.

Secunda appellatur בֵּית־דִין שֶׁל־עֶשְׂרִים וּשְׁלשָׁה, Beth din ſcel eſcrím vſcloſciá, domus iudicii vigintitrium, vel סַנְהֶדְרִי קְטַנָּה ſynhedrí quetanná, Synhedrion paruum: in quo cauſæ maiores, nempe capitales, cognoſcebantur.

Tertia ac præcipua, inſtar Athenienſis Areopagi, nominabatur בֵּית־דִין שֶׁל־שִׁבְעִים וְאֶחָד Beth din ſcel ſcibín vee-

hád, domus iudicii Septuaginta vnius, vel סנהדרי גרולה ſynhedrí ghedolá, Synhedrion magnum, in quo cauſæ grauiſſimæ, quæ pertinebant ad ſummam Reip. tractari ſolebant. Nam ſic eodem capite ſcriptum eſt, אֵין דָּנִין לֹא אֶת־הַשֵּׁבֶט וְלֹא אֶת־נְבִיא הַשֶּׁקֶר וְלֹא אֶת־כֹּהֵן גָּדוֹל אֶלָּא עַל־פִּי בֵּית־דִּין שֶׁל־שִׁבְעִים וְאֶחָד׃. Id eſt, Non pronunciant iudiciũ de Tribu, nec de pſeudopropheta, nec de ſummo ſacerdote, niſi de ſententia curiæ Septuagintaunius, vel τῶν ἑϐδομήκοντα.

Nam hæ cauſæ omnes, nempe totius tribus, pſeudoprophetæ, ſummíque ſacerdotis, magnæ ſunt, quǽque ad Reip. ſtatum ac dignitatem ſpectant. Cæterùm Septuagintaunus illi Iudices ſiue Synhedri, quorũ Synhedrion Ieroſolymis tantùm ius dicere poterat, alia parua Synhedria vigintitrium, vel triumuirûm in aliis Tribubus conſtituebant, bella decernebant, vrbē dirutā reficiendā locabāt, réſque omnes publicas adminiſtrabāt. Quod Ioſephus in Antiquitatib. apertè docet, lib. 14. cap. 17. Cùm enim Herodes cædis poſtulatus eſſet, quòd Ezechiā prædonum ducē occidiſſet, cùm Galilææ præfectus eſſet, perſonámque publicam ſuſtineret, Ieroſolyma accitus eſt, vt in Synhedrio cauſam diceret. Nam maior erat, quàm quæ à priuato iudicio diiudicari poſſet. Ipſe porrò Herodes rerum potitus, Synhedros omneis, præter vnum Sameam, interficiendos curauit.

Ex hoc loco perſpicuè cognoſci poteſt, quid ſit Mamona. Nam omnia, quæ ad rem pecuniarum pertinēt, hoc nomine cenſentur. Cui cùm Græcum nullum aptè reſpondeat, Syriacum vocabulum efficaciæ cauſa relictum eſt: vt facilè diſpiciamus, cur Chriſtus dixerit, Parate vobis amicos de Mammona iniquitatis.

Sed ad id, vnde digreſſi ſumus, redeundum eſt. Cùm ſciret Chriſtus ordinem hunc eſſe Iudiciorum, & veteres Iudæorum ritus cum Chriſtianis moribus cõferret, ait, Audiſtis, quòd dictum eſt antiquis, Non occides: qui verò occiderit, obnoxius erit Iudicio: intelligens ſecundam iudicum claſſem, qui iudicia capitalia exercebant. Verùm maiorem in Chriſtianis perfectionem cupiens, non modò de grauibus iniuriis & cædibus, ſed de conuiciis etiam, & tacita ira iudicium fore oſtendit, de diuino iudicio humano more & parabolicè loquẽs. At ego, inquit, dico vobis, quòd omnis qui iraſcitur fratri ſuo temerè, reus eſt iudicio, triumuirûm ſcilicet. Et quicunque dixerit fratri ſuo Racá, reus erit concilio, quod eſt Synhedrion paruum vigintitrium. Qui autem dixerit ei Fatue, reus erit gehennæ ignis, id eſt, ſummo Synhedrio Septuagintavnius, quo diuinum iudiciũ intelligimus.

Nunc explicandum quid ſit Audiſtis, quid Racá. Dixerit quiſpiam, Audiſtis, propterea à Chriſto dictũ, quòd filii à parentibus & ſacerdotibus legis præcepta audire ſolebant. Quod nec ipſi negamus. Sed alium ſubeſſe ſenſum credimus huiuſmodi. Apud priſcos Iudæos triplex fuit ratio diuinas literas interpretandi, vt in Thalmud ſæpe obſeruare licet.

Prima dicitur שְׁמַעְתָּא ſcemaata, quod eſt ἀκρόασις vel auditio, cũ hiſtoricũ ſenſũ exponimus, quẽ audiſſe ſatis eſt.

Altera vocatur אַגַּדְתָּא Aggadtá, ſiue extenſio, cùm hiſtoricam ſententiam myſtica expoſitione dilatamus.

Tertia eſt מְתָלֵי Mithle, hoc eſt parabolica, cùm parabolis vtimur, quod paſſim in Euangeliis Chriſtus facit.

Porrò Rabbini populo hiſtoriam tantùm, hoc eſt auditionem, explicabant, qui propterea dicebatur audire.

Hinc ergo patet,cur dixerit Audiſtis,quaſi dicat,verba tã tùm intelligitis,myſterium non item, quod ipſe poſteà Chriſtus explanat. Iam ſupereſt, vt dicamus de Racà, quod D. Hieronymus optimè reddit Inanem:vſum tamen ac vim non aperit, quod è veterum Hebræorum ſermone cognoſci debet. Nam in Maſſéchet Berachoth aliquoties hoc verbũ legitur, quod ſcribitur ריקה Rica. Eſt autem conuicium non acre, ſed familiare, vt cùm maior minorem pro authoritate familiariter caſtigat, vel leniter obiurgat. Cùm enim Rabbinus quidam plebeium neſcioquem orare in loco periculoſo animaduerteret,increpat eum dicens,ריקה Rica. Vt cùm vulgò errantem vocamus pauperem ſtultum, non quemlibet tamen, ſed inferiorem tantummodó. Cæterùm μωρὸς, vel fatuus,acrius eſt conuicium, Syriacè שְׁטֵי, *Sote*,quod in linguã Gallicã defluxit:inde verbũ אֶשְׁטֵי aſti infatuare, frequens in Thalmud. Raca itaque eſt,quẽ ob inanitatẽ, follẽ vocitãt. Fatuus,vel potius excors,*Sote*,hoc eſt,cuius mens à ratione abalienata eſt:vt verbum Syriacũ ſonat.

Cùm igitur nec Græca lingua nec Latina nomen vllum habeant,quo indignationis lenis ſignificatio exprimatur,relictũ eſt ob efficaciam, verbũ Syriacum Raca.

Cur verò Racà non rica in Euangelio ſcribatur, ratio ſuprà expoſita eſt, cùm docebamus Syriacè per a pronunciari, quæ Hebraicè per i proferrentur,vt Miriam, Mariam,Migdal,Magdal:ſic Rica Racá.

De Publicanis.

CRebra fit in Euãgeliis Publicanorum mentio, quorum ordo Romæ honeſtiſſimus erat, nempè equeſtris dignitatis,vt multis locis oſtendit M. Cicero : Iero-

ſolymis,& in tota Iudæa infamis ferè habebatur,vt illud indicat,Eſto tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

Eius itaque rei ratio ex Hebræorum iure petenda eſt: ídque explanandum, quî potuerit Matthæus Euangeliſta & idem Leuita eſſe Publicanus, cùm Romani tãtùm publica vectigalia licitarentur atque conducerent.

Iudæi igitur Publicanos Syriaco verbo vocant גַּבָּאִין gabbaín,quod eſt exactores. Porrò in Thalmud Maſſechet Synhedrin,Pérec zeh borer,vbi agitur de Iudicum reiectione, in hunc modum ſcriptum eſt, אֵלּוּ הֵן הַפְּסוּלִין הָרוֹעִין הַגַּבָּאִין וְהַמּוֹכְסִין׃,Hoc eſt, Hi reiiciuntur in iudicio, Paſtores,Publicani,& Diœcetæ. Hos enim vnà cum furibus & fœneratoribus, aliíſque infamia notatis perſonis, legitimè reiici poſſe docent Thalmudici doctores. Nam iſti omnes fures atque impoſtores à Iudæis habebãtur. Cæterùm quidam erat princeps Publicanorum, qui dicebatur ריש גבאי res Gabbaé:is verò Romanus vel ciuitate Romana donatus erat. Cæteri ſimpliciter nominabantur גבאין gabbain, Publicani, qui Romani neceſſariò non erant,ſed ex ea prouincia vel vrbe à principibus Publicanorum eligebantur, in qua vectigalia exacturi erant. Nam ff. de publ. & vect. & com.l.1.§.hic. Omnes qui quid à fiſco conducunt,rectè appellãtur Publicani.In eo autem titulo alii vocantur domini,nempe principes Publicanorum:alii ſocii,id eſt,ſimpliciter Publicani.vt l.9.Socii vectigalium,ſi ſeparatim parteis adminiſtrent, alter ab altero minus idoneo in ſe portionẽ trãſferre iure deſiderat.Cũ igitur Iudæi decimas tantùm ſuis ſacerdotibus pendere quotãnis ſolerẽt,inuiti Romanorũ Publicanos,eorúmq; ſocios Iudæos videbant: atq; ob eã cauſã quaſi publica notatos infamia auerſabãtur.

De Camelo per foramen acus.

EXtat apud Matthæum cap. 19. Chriſti dictum παροιμιῶδες, Facilius eſt Camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem ingredi in regnũ cælorum. Id adagium cùm à conſuetudine noſtri ſermonis abhorreat, fecit vt quidam portam neſcioquam Ieroſolymis è ſuo ſomnio fabricarẽtur, quæ acus diceretur ob anguſtiam, per quam Camelus animal tam vaſtum ingredi non poſſet: cũ multò ciuilius fuiſſet, ingenuè dicere, Neſcio. Alii nonnulli, qui Græcas literas ſic mirantur, vt alias omnes faſtidiant, nauſeantes ſiquis aliquid ſe inueniſſe dicat, quod Græci illi inaniſſimi ignorauerint: metamorphoſin monſtroſam commenti ſunt, atque ex immani bellua funem nobis nec opinantibus architectati ſunt. Aiunt enim κάμιλον, ſi cum iota ſcribatur, eſſe craſſum funem, quo anchoræ religantur: atque, vt ſententiam ſuam communiant, locum hunc Euangelii proferunt. Sed quod controuerſum eſt, pro certiſſimo teſtimonio citant. Nos conſtanter negamus vllum extare bonum Græcum authorem, qui κάμιλον vel κάμηλον pro rudẽte, aut quouis fune vſurpet. Nam Athenæus omniũ, quod ad vocabulorum vſum attinet, ſcriptor atque obſeruator diligentiſſimus, cùm nauium vel minutiſſimas ſcobes & tenuiſſimas rimas deſcribat, atque partes omnes & ferramenta enumeret, nuſquam Cameli camilíue facit mentionem. Quinetiam Iulius Pollux in ſuo Onomaſtico, in quo nomina omnia vſitata perſequitur, Camelum funẽ ignorat. Producant igitur vel vnũ teſtem, & cauſam per me obtineãt. Sed quî poterunt, cùm funis Græcè κάλως, vel χοινίον vocetur, κάμηλος beſtia tãtùm ſit?

Itaque vt Græcorum prouerbiorum ratio in Græcis ſcriptoribus quærenda eſt : ſic Hebraicorum dictorum origo ex Iudæorum petenda eſt cōmentariis. Multæ enim ſunt parœmiæ Iudæis familiares,quæ in aliis linguis abſurdæ vel obſcuræ videri poſſent. Quod quò melius perſpiciatur, non fuerit ab re adagia aliquot priſcis Hebræis vſitata, quæ in lectione Thalmudica obſeruauimus,afferre in medium.

לְמַת יַרְקָא יַרְקָא שְׁקֹל :

In vrbem oleribus (abundantem) olera (venalia) importa.Huius dicti authorē faciunt Moſen,cùm in AEgypto Magos Pharaonis prouocaret.Ii Moſen deridebant vt ineptum,qui in AEgyptum magicarum artium peritiſſimam, noua prodigia magicis,vt ipſi putabāt,præſtigiis importare vellet.Quibus reſpondit Moſes hoc prouerbio, In vrbem olerum abundantem importāda eſſe venalia olera . Sæpe enim fieri videmus,vt cariſſima ſit in ſingulis vrbibus earum rerum annona, qua maximè abundant, omnibus ad alia loca exportantibus, atque vrbem ipſam ferè relinquentibus inanem.

טָבָא חֲדָא פִּלְפַּלְתָּא חֲרִיפְתָּא מִמְּלָא צַנָּא דְּקָרֵי.

Melius eſt granũ piperis acre,quàm ciſta plena caryotarũ.
Huius prouerbii plana ſententia eſt,quæ pluris eſſe ſapientem vnũ,quàm ſtultos multos oſtendit. acerrimum enim eſt piper, vt contrà fatui palmarum dactyli.

תְּרֵי קִיסֵי יַבִּשֵׁי וְחַד רְטִיבָא אוֹקְדוּהָ יַבִּשֵׁי לִרְטִיבָא :

Si fuerint duo ligna arida,& vnum viride: arida viride illud exurunt. Hoc eſt,Plures mali pauciores bonos facilè ſuperant.

זַנְיְתָא בְּבֵיתָא כִּיקַרְיָא לְשֻׁמְשְׁמֵי :

Adulteriũ domi eſt ſicut eruca Seſamo. Vt enim Se-

ſamus

ſamum eruca depaſcitur,ſic domũ adulteria labefactãt.
לְפֻם גַּמְלָא שְׁחִינָא, κατ' ὂν κάμηλον ὁ φόρτος,

Pro Camelo ſarcina. Quod eſt,Verſate diu,quid ferre laborent,quid valeant hũmeri.Vt pro Cameli magnitudine & viribus ſarcina imponenda eſt.

טוֹבִיָּה חֲטָא וְזִיגוֹד מְנַגֵּד :

Tobias deliquit,& Zigod plectitur. Zigod quidam Iudæus cùm Tobiam in flagitio aliquo deprehendiſſet,teſtimoniũ in eum dixit : ſed cùm ſolus teſtis eſſet, verberibus vndequadraginta probè mulctatus eſt. Ea enim in cauſis capitalibus leuiſſima pœna erat. Cùm ergo nocẽtes abſoluũtur,& puniũtur inſontes,hoc dictũ vſurpant.

אַרְבְּעִי לְצָלָא וְאַרְבְּעִי לְצַלְלָא :

Quadra foſſori,& quadra ocioſo.

Quod cũ Heſiodi ſententia facit, qui panẽ villici vult eſſe τετράτρυφον ὀκτάβλωμον.

Hoc adagio indicãt naturæ paruo cõtẽtæ æquabilitatẽ.

Alia permulta afferre potuiſſẽ,ſed ad rem redeũdũ eſt.

Chriſtus itaque cùm rem ἀδύνατον parœmiacè ſignificare vellet , vſus eſt verbo priſcis Iudæis familiariſſimo. Nam in Thalmud Pérec haroéh legitur,

וְלָא פִּילָא דְעָיֵל בְּקַפָּא דְמַחְטָא :

Hoc eſt,non poteſt Elephantus ingredi per foramen acus.Et alio loco,

דִילְמָא מִפּוּמְבְּדִיתָא אַתְּ דִּמְעַיְּלֵי פִּילָא בְּקַפָּא דְמַחְטָא :

Forte è Phomboditha (ea eſt vrbs quædam) es tu , vbi immittunt elephantum per foramen acus.

De quodam agitur, qui rem ἀδύνατον effecturũ ſe eſſe pollicebatur, vt eſt vaſtiſſimam belluam per anguſtiſſimum acus foramen intrudere velle.Quod vulgari prouerbio facere dicuntur Phomboditani, nempe homi-

nes vani & iactatores. Christus tamen pro elephanto, quem pauci viderunt, bestiam Syriæ notissimam Camelũ dixit, quò res planius ab omnibus posset intelligi.

De Effathá.

POstulat nunc ratio, vt locutiones quasdam Euangelistis familiares, ac linguæ Syriacæ proprias, quæ in alia nulla reperiuntur, exponamus, earúmque vsum doceamus. Ac primùm se offert verbum illud, quo Christus oculos cæco restituens vtitur, ἐφφαθά, effethá, quod Euangelista Mar. optimè interpretatur διανοίχθητι, adaperire. Iubebat enim Christus, vt cæcus ille oculorum vsum reciperet, quod Græci dicunt ἀναβλέπειν, vt in suo Pluto ostendit Aristophanes. Hîc docendum cur aperiri Syriacè id significet, quod nulla alia lingua vsurpat. Nã si Græcè dixeris διανοιχθῆναι, & Latinè aperiri, nemo vnquam intellecturus est, oculorum aciẽ restitui. Id eò fit, quòd peculiares sunt in singulis dialectis locutiones, præcipuè tralatitiæ. Quod enim Latini in vitibus gẽmam vocant, Græci nominant ὀφθαλμὸν oculúmue, Galli à trudendo boutonem appellant, Itali thecam. Sic Græci mõtis imam partem pedum nomine significãt, vt Galli & Itali, Homerus πόδας πολυπιδάκου ἴδης ait, Latini radices nominant. Multæ ac propemodum innumerabiles sunt Latinæ tralationes, quas Græci ignorant: vt plurimæ apud Græcos Latinis incognitæ. Græci itaque eum, qui oculorũ vsum habet, appellant βλέποντα, Chaldæi פְּתִיחַ phetía, hoc est, apertum, tralatione apta, nec longè petitæ. Latini, quod ego sciam, nullum vnum vocabulum eiusmodi habẽt. Si igitur cæcus aliquis oculorũ aciẽ recipiat, Græcè dicetur ἀναβλέψαι, Syriacè אֶתְפְּתַחָא issethahá,

id eſt, aperiri. Oculos enim omnes habemus, ſed cæci clauſos atque obſtructos, qui Syriaca phraſi elegantiſſimè dicuntur aperiri, cùm tegmenta illa recluduntur. De orthographia dictum eſt in Grammatica, hîc tantùm oſtendendum, cur cùm literam thau deciduam indicet daghes, ph non mutetur in p, ſed geminetur. Id diſertè D. Hieronymus in cōmētariis in Dan. cap. 11. docet, qui ait apud veteres Hebræos, vt hodie quoq; apud Syros & Arabes nūquā pronūciari p, ſed ph vel ſimplex, vel, ſi id orthographiæ ratio poſtulet, geminū. optimè ergo ſcriptum eſt ab Euangeliſta ἐφφαθὰ, non ἐππαθά. Id dictum voluimus propter ſciolos quoſdam, qui, quod ipſi non intelligunt, ſtatim deprauatum eſſe clamant. Sed monſtremus huius verbi vſum. In Vaiicrá Rabbá, vel magno Leuitico, cap. 18. qui liber Syriacè ſcriptus eſt, legimus hiſtoriam de duobus viatoribus, è quibus vnus cæcus erat, alter apertus, vel oculorum acie præditus. Quam, cùm mirificè eam locutionem exprimat, huc tranſcribere non piguit. Verba hæc Syriaca ſunt, עוֹבָדָא הֲוָה בִתְרֵין גֻּבְרִין
דַּהֲווֹ עָיְלִין לְטֶבֶרְיָא חַד סְמִי וְחַד פְּתִיחַ וַהֲוָה הַהוּא פְּתִיחָא גָּרֵשׁ לֵהּ
יַתְכּוּן לְמִקְטְרָא בְּאָרְחָא לַקְטוּן עֶשְׂבָּא וְאַכְלוּן דֵּין דַּהֲוָה פְּתִיחַ אִסְמִי
וְדֵין דַּהֲוָה סַמְיָא אִפְּתַח וְלָא עָלִין מִתַּמָּן עַד־זְמַן דְּגָרֵשׁ הַהוּא סַמְיָא
לְהַהוּא פְּתִיחָא : Id eſt, res geſta narratur de duobus viris, qui aſcendebant in Tiberiadem, è quibus vnus erat cæcus, alter פתיח phathía apertus, & deridebat ille apertus eum, nempè cæcum. Conſederūt, vt reficerent ſe in via, & lectam herbam comederunt: ille qui erat apertus excæcatus eſt, & is qui erat cæcus iſſathá, apertus eſt, hoc eſt, oculorum aciem recepit. Nec abierunt illinc, quod ille qui fuerat cæcus, derideret eum, qui fuerat apertus.

Hoc afferre volui, vt vſum huius verbi atque originē

ostēderem , quod hactenus neminem fecisse videbam. Porrò an herba vlla extet vel chelidonium, vel alia, quæ hac vi prædita sit, medici viderint: mihi narrasse satis est.

De Mamona, & aliis.

CAEtera, quæ in Euangeliis leguntur, hæc sunt.

Mamona, Matth. 6. μαμωνᾶ, מָמוֹנָא, pecunia, de hoc suprà egimus in Racá.

Barjona, Matth. 16. βαριωνᾶ, בַּר־יוֹנָה, filius Ioná, quod columbam significat.

Golgolthá, Matth. 27. quāquam corruptè à Græcis detracto altero l scribitur γολγοθᾶ, cranium, vel calua, mortui præsertim. erat enim cippus Iudæorum.

Geth semaní, Matth. 26. γεθσημανεί. Non est vallis pinguium: geth enim Hebraicum non est: nec prelū olei, vt quidam somniat. Sed sunt duo vocabula Syriaca גַּת־שְׁמָנֵי, pecuaria butyri. גַּת geth enim respōdet Hebraicæ voci מִקְנֶה, & שְׁמַן seman est חֶמְאָה butyrum. Is enim locus à copia butyri id nomen nactus est.

Elí elí lamá sabachthání, Matth. 27. quod scribitur Syriacè, אֵלִי אֵלִי לְמָא שְׁבַקְתָּנִי, vel, vt Marcus habet elohi, אֱלָהִי. Deus mi, Deus mi, cur destituisti me? Quæ verba Hebraicè leguntur in principio Psal. 22. אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי, Elí elí láma azabtáni. Sed Christus, qui vernacula Syrorū lingua vtebatur, vt ab omnibus intelligi posset, versiculum Psalmi Hebraici Syriacè pronūciauit. Vox enim El אֵל, Deus, tam Syris, quàm Hebræis familiaris est. Elohi autem, Syriacum est אֱלָהִי, quod Hebraicè dicendum erat אֱלֹהַי elohái. Suspicor tamē Christum Eli protulisse, quod propius accedit ad nomen Eliæ, vt indocti homines Christum Elí clamantē, Eliā inclamare existimarēt.

Bane‿rgés, Marc.3. βανε‿ργὲς, בְּנֵי־רְגַשׁ, non בְּנַיָא רְגַשׁ vt habet Munſterus, cùm ſit ſyntaxis genitiui : nec בְּנֵי רַעַם, vt quidã credunt: cùm raam Hebraicum ſit, regés Syriacum, quod tumultum & tonitru ſignificat. Euangeliſta rectè interpretatur υἱοὺς βροντῆς, filios tonitru. Quáquam ſcribendum eſt proculdubio Banerges ſine o, quod nemo doctus negauerit.

Talithá cúmi, Mar.5. ταλιθὰ κοῦμι, טְלִיתָא קוּמִי, ô puella ſurge, Hebraicè dicẽdũ erat, הַנַּעֲרָה, vt Babylonicè עֲלֵמְתָא.

Beth‿eſdá, בֵּית־אֶשְׁדָא, Ioh.5. quod librarii errore malè ſcribitur Bethſaida, qui piſcinam Beth‿eſda (nam Græca exemplaria habent βηθ‿εσδὰ) cum oppido Bethſaida cõfudit. Eſt autẽ Betheſda, domus effuſionis ab אֲשַׁד verbo Syriaco effudit, à ſanguine victimarũ effuſo: hinc Græcè dicitur προβατική, quaſi Victimariam dixeris. Bethſaida autem eſt בֵּית־צַיְדָא, domus piſcationis, ob crebra ſtagna & lacus.

Gabbatha, Iohan. גַּבְּתָא, Hebræis quoque vſitatum eſſe ait Munſterus, quod nos negamus, cùm merè Syriacum ſit. גַּב enim Syriacè eſt idem quod סָל Hebraicè, id eſt, viã lapidibus ſternere. propterea elegantiſſimè redditur ab Euangeliſta λιθόστρωτον, quod eſt lapidibus ſtratum, vel teſſellatum. Cuiuſmodi multa pauimenta in Hiſpania viſuntur.

Aqel‿demá, Act.1. חֲקַל דְּמָא, ager ſanguinis, qui Hebraicè diceretur שְׂדֵה הַדָּם ſadéh haddám.

Tabithá, Act.9. טְבִיתָא, Græcè ἡ δορκὰς, Latinè Dama, Hebraicè הַצְּבִיָּה hazzeuiiáh, vt habes in Cantico.

Beelzebub, בַּעַל זְבוּב, Hebraicè בַּעַל, Baal. id eſt magiſter muſca: vt Nicander μύαγρον vocat quendam ſerpẽtem.

De Dimitte nobis, & aliis.

MVltæ ſunt præterea in nouo Teſtamento locutiones Syriacæ, quæ cùm vel ab Apoſtolis vel interpretibus mutatæ non fuerint, obſcuram ſæpe ſententiã efficiunt. Nos aliquot ſelegimus, quò magis huius linguæ ſtudium iis, quibus per ætatem & ingenium licet & libet, commendaremus.

Extat in Dominica precatione illa nobilis phraſis, καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν, Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Dimittere, vel, vt quidam Latinius loquuntur, remittere debita Syriaca locutione dictum eſt, quod eſt, delicta cõdonare. Vt debitores pro peccantibus dicuntur. Quis enim non videt nec Græcos, nec Latinos hoc modo loqui? Quinetiam Hebræi ipſi ſimilem locutionem non habẽt. Quod aliquot exẽplis explanandum eſt. Parcere quidem & ignoſcere Hebraicè dicitur, סָלַח, vel נָשָׂא עָוֹן, hoc eſt, perferre dilictũ: Syriacè verò שְׁבַק, id eſt dimittere vel remittere. Porrò qui peccat Hebraicè חַטָּא hattá appellatur, Syriacè חַיָּב haiiab debitor, obnoxiúſue. Et peccatũ Hebraicè חֵטְא, Syriacè חוֹבָא, hoba, debitum. In precatione Salomonis 3. Re. 9. legimus,

וְסָלַחְתָּ לְעַמְּךָ יִשְׂרָאֵל׃

Et ignoſces populo tuo Iſraël.

Id à Chaldæo paraphraſte ſic redditur, וְתִשְׁבֹּק לְחוֹבֵי, עַמָּךְ יִשְׂרָאֵל. Et dimittes debita populi tui Iſraël. ídque ter aut quater ibi repetitur. Filii Iacob, Gen. vlt. Ioſephum in AEgypto ſupplices alloquuntur, שָׂא נָא פֶּשַׁע אַחֶיךָ, parce nunc delicto fratrum tuorum. Id Chaldaicè verſum eſt,

שְׁבַק כְּעַן לְחוֹבֵי אַחָךְ, Remitte nunc debita fratrum tuorũ.

Cæterùm facinorosos vocari חַיָּבִין debitores, tam vsitatum est, vt vel mediocriter doctus id facilè intelligat, vt Psal.1. Et in via peccatorum non stetit, Syriacè וּבְאֹרְחַת חַיָּבִין לָא קָם, Et in via debitorum non mansit. Hoc videns Lucas, qui Græcè doctus erat, scripsit ἁμαρτίας, peccata, cùm Matthæus habeat ὀφειλήματα. Debitores autẽ, quod Græcè exprimere nõ poterat, reliquit. Quid enim, quæso, aliud est peccatum, quàm debitum quoddam, quo nos obstringimus, rationem aliquando, nisi pœnitentiæ lachrymis tabulas inducamus, reddituri?

Mortuos vocare dormientes ob spem resurrectionis, piũ est, sed Syriacæ tantùm linguæ propriũ: quanquã Hebræi dicãt, Et dormiuit cum patribus suis, mortuos tamẽ nunquam nominant dormiẽteis. legimus in Thalmud,

בְּרֵהּ דְרַב דֵימִי אִתְיְלִד לֵהּ יְנוֹקָא וּבְגוֹ תְלָתִין יוֹמִין שְׁכִיב׃

Filio Rab Demi natus est infans, & intra dies triginta dormiuit. Tum de quodam mago sic scriptum est ההוא אמגושא דהוה מחטט שכיבי, Ille magus, qui dormientes spoliabat. Solus Homerus poëtarum, vt Plato ait, Deus diuinitus hoc sensit, cũ Iliad. ξ. de virga illa mirifica Mercurii loquens, mortuos nominat ὑπνώοντας.

Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει. τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Id AEneid. 4. Virgilius vertit,

Tum virgam capit, hac animas ille euocat orco
Pallenteis, alias sub tristia tartara mittit.
Dat somnos, adimítque, & lumina morte resignat.

Quod Homerus mirificè dixerat ὑπνώοντας ἐγείρειν, quod est dormientes excitare, id obscurè & minus aptè vertit Virgilius, somnos adimere. Multæ enim sunt phrases Ho

mericæ Syriacis valdè consentaneæ ac consonæ. Quod, Christo propitio, aliquando à nobis explanabitur. Christiani eam locutionem imitati cippos libitinarios & sepulcreta sua Græco verbo κοιμητήρια, cœmeteria, vocitant, quod Latinè vertas licet dormitoria.

Deum nomine cæli intelligere Syriacum est. Hinc est illud Matth. 21. Baptismus Iohannis vnde erat, à cælo, an ab hominibus? מִשְּׁמַיָּא.

In salutatione angeli legitur, κεχαριτωμένη σὺ ἐν γυναιξί. Quod verbum ipse Euãgelista fabricatus est, cùm apud Græcum authorem nullũ extet. Nec enim vllum erat verbum, quod responderet Syriaco participio רְחִימְתָּא Rahimtá, quod eam significat, quæ gratiosissima atque acceptissima est. Sed iam dicendi finem faciemus, si omnium Apostolorum nomina cum suis etymis explicauerimùs.

De Messia, Maria, & omnium Apostolorum nominibus.

CVR Iesus vocetur Christus, & Messias, omnes intelligunt. משח masah enim tã Hebraicè quàm Syriacè est vngere. Hinc מָשִׁיחַ Masíah vnctus, Græcè χριστός. Sed mirantur multi, cur Euangelistæ scribant μεσσίας, non μασσίας, cùm Hebraicè pronũcietur Masiáh. Paulus Ricius vir alioqui diligẽs scribit Mosias, sed ridicula & indocta superstitione. Christus enim Syriacè dicitur מְשִׁיחָא Mesihá, sed illa aspiratio Græcè exprimi non potest. rectè ergo Euangelistæ μεσσίας scribunt, vt Latini melius scriberent Mesihas. Græcè interpretati sunt Apostoli χριστόν, vnde nos Christiani nominamur. Porrò Iudæi cùm suum Messiam tardigradum Græcè appellare vellent, non χριστὸν dicebant, ne cum Christianis vel nomine

ne ipso consentire viderentur, sed ἠλειμμένον, hoc est, delibutum. Verùm illud obseruandum, quemlibet regem & sacerdotem χριστὸν vel מְשִׁיחַ vocari posse, Iesum verò κατ᾽ ἐξοχὴν propriè τὸν χριστόν, & מְשִׁיחָא appellari.

Mariám compositum nomen esse quidam putant, & mare salsum, vel stellam maris interpretantur: sed ridiculè primùm, tum cõtra Hebraicæ linguæ analogiã. Cùm enim scribatur מִרְיָם miriã, & bisyllabum sit, omnes Hebraicè docti fatebuntur heemanticũ esse ac simplex. Cùm enim præter Mem, tres thematicæ appareãt, necessario Mem cum hirec heemanticum est. Thema itaque est רָם ram, eminuit, in quo media quiescit, quæ in deriuato mouetur, vt à קָם fit קְיָם, & Syriacè קְיָם. Mariã ergo, sic enim dicitur Syriacè, vt suprà docuimus, est excelsa, sublimis atque eminẽs: quod etymon optimè tam è linguæ ratione, quàm ex merito per gratiam sanctissimæ Virgini conuenit.

Simon Apostolorũ princeps Syriaco nomine à Christo כֵּפָא Cephá appellatus est: quod Euãgelistæ πέτρον rectè interpretãtur. Latinè autem non tam benè nec propriè redditur Petrus. Quod facilè me viris prudentibus probaturum confido, atque interim scrupulum illum exempturum, qui hactenus multos torsit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Cùm enim constet Christum Syriacè fuisse locutum, ex ea lingua rationem petere debemus. Nam cùm cognomine aliquo Simonis Ecclesiæ principis futuri, in eóq; pastorum aliorum soliditatem atque constãtiam exprimere vellet, indidit ei Syriacum nomẽ Cepha: quod si Latinè reddatur, significat durũ lapidem, vel cautem, cui respõdes Hebraicum סֶלַע. Cuius rei vim in parabola pii homi-

nis qui auditum verbum cõſeruat, atque opere perficit, Chriſtus exhibuit. Porrò id proprium nomen non eſt, ſed cognomen à tralatione ſumptum. Euangeliſtæ quidem, qui Græcè ſcripſerunt, Cepha elegantiſſimè atque aptiſſimè interpretantur πέτρον, quod lapidem ſaxúmue ſignificat. At Latini tam commodè reddere non potuerunt, ne neſciſſe dicam, quàm Syri & Græci. Nam lingua Syrorum כֵּפָא cepha lapidem ſonat, & nomen Apoſtoli refert, ídque ſine vlla literarum varietate. Quinetiam Græcè πέτρος tam pro lapide accipitur, quàm pro Apoſtolo. Latini hanc felicitatẽ aſſequi non potuerunt. Cùm enim Petrum dicunt, hominem tantum intelliguut, lapidem non item. Niſi voluiſſent dicere, Lapis, vel Petra, quæ cùm homini, tum ipſi rei aptè quadraſſent. Hinc facilè ſolui poteſt quæſtio illa, tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam: vel ſi Syriacè pronuncietur hoc modo,

אַנְתְּ כֵּפָא וְעַל כֵּפָא הָדֵין אֶבְנֵי יָת צִבּוּרִי׃

Ant cephá veál chephá hadén ebnè iath çibburí (hoc enim modo locutum fuiſſe Chriſtum omnes Syriacæ linguæ docti concedent) id eſt, Tu es lapis, & ſuper hoc lapide (ſuper te, tuáque fide, & cæterorum paſtorum) ædificabo Eccleſiam meam. Illi enim Chriſti ouium cura commiſſa eſt: ipſe primus Euãgelium annunciare cœpit, & primus in carcerem detruſus, verberibúſque propter Chriſti nominis confeſſionem mulctatus eſt. Hic enim Eccleſia non ſubſtructiones atq; ædificia, ſed Chriſti fidelium multitudinem refert: quam, inſtar cautis ſolidiſſimæ, Simon Cepha inſtituit, confirmauit, atque in fide Chriſti conſtabiliuit. Hæc facilè rudes contemnẽt, quorum iudicium nihil moramur.

Andreas Græcum eſt, vt Philippus: ille virilis & fortis, hic bellicoſus, qui equis delectetur, reddi ſolet.

Iacobus Hebraicum nomen eſt, Græcè ὑποσκελιστής, Latinè ſupplantator.

Zebedæus, זְבַדִי, liberalis & munificus.

Iohannes, יוֹחָנָן, gratioſus & miſericors.

Bartholomæus nō eſt filius Ptolemæi, ſed filius Thal mái, quod nomē in Bibliis legitur multis antè ſeculis, q̃ Ptolemæus vllus natus eſſet. Telem Hebraicè ſulcus eſt.

Matthæus, donū dei, Græcè Doſitheus, vel Theodorus.

Thomas, Syriacè תְּאוֹמָא, Græcè, vt Euangeliſta interpretatur, δίδυμος, Latinè Geminus.

Vt mirer, quid Nonno in mentē venerit, vt Thomam binominē faceret. Cùm idē nomen ſit Thoma, δίδυμος, & Geminus, vt Meſſias, Chriſtus, & Vnctus. ſed linguarū ignoratio magnis etiam viris errandi anſam præbet.

Alphæus, אַלְפַי, eſt doctus, vel doctor.

Thadæus, תַּדַי Syriacè non à confeſſione, vt quidā putant, alioqui diceretur Thodæus: ſed à תַּד voce Syriaca, quæ mammam vel papillam ſignificat. Eſt enim Thadæus à Mamma, vt Lebbæus לִבַּי à corde dictus. D. Hieronymus elegātiſſimè Corculum vertit. Oſiander à Leone ductum credit, ſed errat. Syriacè enim Leo non לְבִיא, ſed אַרְיֵה dicitur.

Simon Cananæus perperam ſcribitur à Latinis, cùm ſcribendum proculdubio ſit Cannæus, vel Cannita, vt Græcè quoque καννίτης. Niſi Euangeliſtis credere nolumus, qui ζηλωτὴν zelotem vel æmulatorem interpretantur. Porrò zelator Hebraicè & Syriacè dicitur קַנָּא Cānā: ſcribendum ergo Latinè Cannæus, vel Cannita, Græcè καννίτης. Nam Cananæorum nomen, quod crebrum eſt

in Scripturis,librariis parum doctis imposuit.

Iudas Iscariota,Christi proditor,vnde id nominis nactus sit,nemo hactenus explicauit. Nam qui à שָׂכָר sacár mercede deducunt, Hebraicè nesciunt. Quid enim faciemus I & ota,quæ ad nomen necessario pertinent?Ea res diu me exercuit,cùm rationem nullam saltem verisimilem inuenirem,& scirẽ hac ætate, qua literæ omnes bonæ florent,nihil temerè asseuerandum,nisi quis γλῶτταν καὶ ἄγνοιαν ὀφλισκάνειν cupiat. Sed confido me veram huius nominis rationẽ inuestigasse,quam aliis quoque vt probem,operam dabo.

Cùm enim docti omnes, & in sacris literis exercitati, Apostolos omneis Iudæos fuisse cõsentiant, quod multis argumentis euincere possemus, eius nominis analogiam ex Hebræorũ libris petamus oportet. Omnes itaq; vel à familia,si nobiles fuerint,vel ab aliquo euentu,aut postremò à patria, præsertim ignobiles, cognomen sumunt. Nos asserimus Iudã proditorem à patria sua Iscariotã appellatũ. Quoniam cõstat ex libro Iosue, cap. 15. & aliis multis locis, Carioth oppidum esse in Tribu Iuda,quod Hebraicè scribitur קְרִיּוֹת: & scimus omnes qui à patria describuntur, vocari eius loci viros vel filios, sed præsertim viros. Quod Ezræ 1. passim legitur. Filii Beth léhem centũ & vigintitres. Viri Netophá quinquagintasex. Viri Anathoth centum vigintiocto. lege id caput,& Nehemiã cũ Paralipomenis. Si enim velis vocare Romanũ,dices אִישׁ רוֹמִי Is romé,virũ Romæ:si Ierosolymitanũ, אִישׁ יְרוּשָׁלַםִ Is Ierusaláim, virũ Ierusalẽ. In Pirque aboth habes, אַנְטִיגְנֹס אִישׁ סוֹכוֹ Antigonos is socó, Antigon9 vir soco.i.Socæus. Sic, יוֹסֵי בֶּן־יוֹעֶזֶר אִישׁ צְרֵדָה Iose ben Ioézer is Seréda,Ioses fili9 Ioezer vir Sereda.i.Seredæus:

quæ Ieroboami patria fuit. Alia innumera afferre potuiſſem, ſed ex his, quod volumus, prudentes intelligēt. Dicimus itaque nomen proditoris fuiſſe, יְהוּדָה אִישׁ־קְרִיּוֹת, Iehuda Iſcarioth, id eſt, Iudas vir Carioth, vel Cariotēſis. Vbi ſunt ergo iſti, qui Iudam Gallum natione fuiſſe non tam maligne, quàm indoctè contendunt? Cæterùm Euāgeliſtæ, qui libēter nomina Hebraica & Syriaca retinēt, cùm præſertim vulgò ab omnibus Iſcarioth appellaretur, ſcripſerunt ἰσκαριώτης, adiecta Græca forma, quod fecerunt in omnibus propriis nominibus.

De Pane quotidiano.

HVic præfationi noſtræ eam Coronidem addere ſtatuimus, qua piorum animi delectari poſſint, nēpe eam precationē, quam diſcipulis ſuis Chriſtus ac proinde Chriſtianis omnibus Syriacè tradidit. Nos bona fide ſingulis etiam verbis accuratiſſimè collatis, Syriacè ſcriptam piis ac doctis afferimus. Cæterum, quoniam verbum vnū, quod tanquam ſcopulū omnes, præter vnum diuum Hieronymum, prætervecti ſunt, diu ac multùm nos ſolicitos habuit, cùm quid eſſet panis ille ἐπιούσιος, non reperiremus: ac ne alium quidē vllum, qui eius originem aperiret, haberemus. Sed hîc illa clauſula vtar, nequis me, quod ſemel Eccleſia recepit, conuellere exiſtimet: cùm pro virili parte, quanquam parui parua conamur, Chriſti Eccleſiam ornatam atque auctam cupiā: cùm præſertim hæc doctis, non plebi proponamus: &, quod maximum ducimus, Hieronymum ſequamur, & poſtremò non tanquam dogma obtrudamus, ſed Theologorum iudicio relinquamus perpendendum.

Videmus itaque omnes ferè vertere quotidianum,

quod linguæ Græcæ ratio non patitur. Id eò libentius dicimus doctissimo hoc atq; acutissimo seculo, vt omnes intelligãt me nihil de meo assuere aut confingere posse. Nego enim ἐπιούσιον in Græco authore vllo significare quotidianum, ac ne legi quidẽ apud vllum scriptorem nisi sacrum. Quod si falsum est, cõuincar à tot viris eruditissimis manifesti mẽdacii. Verùm ea est veritatis vis, vt nullis possit expugnari calumniis. Quidam interpretantur substantialem vel supersubstantialem, sed contra Græcæ linguæ analogiam, quæ postularet ὑπερούσιον, & οὐσιώδη, vel saltẽ ἐπούσιον: nisi dicere libet ἐπιουράνιος, & ἐπιήμερος, ἀντὶ τοῦ ἐπουράνιος & ἐφήμερος: quæ nemo Græcè sciẽs risu non excipiet. Hæc qui Græcas literas non attigerũt, facilè contemnent. Sed nos cum doctis agimus, qui id verissimum esse fatebuntur. Solus D. Hieronymus, quẽ sequimur, huius loci difficultatem sentiens, vt qui Græcè doctissimus esset, & noui vocabuli, quod architectatus fuerat Matthæi interpres, rationẽ quærens: Euãgeliũ Hebraicum, quod penes Nazaræos Berrhææ asseruabatur, consuluit: in quo scriptum reperit מְחַר mahár, quod cras significat, & cum articulo crastinum, hoc modo, לַחְמָן דִּמְחַר הַב לָן יוֹמָנָא, Panem nostrum crastinum da nobis hodie. Porrò cùm Matthæi interpres, quem multi Iohannem Euangelistam fuisse aiunt, nullum vnum Græcũ nomen videret, quod responderet Syriaco דִּמְחַר Dimhár (Græci enim, quod crastinum referat, verbum nullum habent, sed cras αὔριον dicunt.) Cùm igitur hoc videret interpres, & sciret τῇ ἐπιούσῃ pro postridie ab omnibus accipi, nomen nouum, aptum tamen & significans, seruata analogia, formauit ἐπιούσιος, & reddidit verba illa Syriaca, τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.

Nomina enim, quæ à participiis deducuntur, à fœminino fiunt, vt οὐσία, & οὐσιώδης ab οὖσα, non ab ὤν, neque ὄν.

Quanuis igitur demus ab οὐσία dici posse ἐπιούσιος, vt ἐπίορκος ab ὅρκῳ, significatus ipse verbi Syriaci, quo Christus vsus est, repugnat. Porrò Græcos scripturæ interpretes noua multa excudisse vocabula, nemo, qui eorum scripta euoluerit, inficiabitur. Ea enim est vis Hebraici & Syriaci sermonis, vt linguæ Græcæ vbertas atque felicitas, inopiam suam agnoscere, & noua fingere nomina cogatur. Quod fecisse ostendimus Lucam in κεχαριτωμένη. Quinetiam Septuaginta pleraque innouarunt, vt illa, ἐνωτίζειν, ἀκουτίζειν, & ὀρθρίζειν, quæ si Latinè vno verbo reddas, dicendum erit, inauriculare, audificare, & manicare: quæ durissima essent, cùm vsitatiora sint, præbere aureis, nunciare, & mane surgere: non minus duriter illa Græcas aureis feriunt. Alia multa afferre possem, quæ domi illorum nata sunt. Cæterùm quomodo intelligendum sit, Panem nostrum crastinũ da nobis hodie, Theologis expẽdendum relinquemus: nos certè sententiam ex antitheto elegantissimam esse cernimus. Verùm nostro officio satisfactum esse credimus: si quod intelligere potuimus è ratione linguarum, quarum si cognitionem aliquam nobis tribuamus, iure id nostro facere videamur, cùm in iis totam penè ætatem contriuerimus, id candidè in medium proferamus. Tum magnorum erit Theologorum, sentẽtiam, quæ certè impia non est, cùm authorem habeat Hieronymum, exponere.

Vt enim in Ecclesiæ incunabulis alii, teste Paulo 1. Cor. 14. loquebantur linguis, alii prophetabant atque interpretabantur, quod munus longè est præclarius atque vtilius: nec alii aliis inuidebant. Sic cum multis prophe-

tandi & interpretandi ſacras literas ſcientiam concedamus, nemo noſtris ſtudiis, quæ ad peregrinarũ linguarum illuſtrationem, & ſacrarum literarũ aliquod emolumentum ſpectant, obloqui aut obſtrepere debet. Si quis tamen ſententiam noſtram audire cupiat, hoc modo intelligi non impiè nec incommodè poſſe exiſtimo.

Iuſſerat Chriſtus nequis de craſtinis eſſet ſolicitus, cũ cuique diei ſufficiat malitia ſua: tum quòd ea cura animos maximè à pietatis cogitatione auocet atque abducat. Cùm enim conſtet auaritiã omnium ferè vitiorum procreatricem atque altricem eſſe: ſi quis craſtina curare non ſtultè, ſed piè deſierit, is profectò paruo contentus, cupiditatibus omnibus ablegatis, totum ſe pietatis culturæ dedet: quod ardẽtiſſimè ſuis optat Chriſtus. Verùm quoniam humana imbecillitas ſibi ſemper timet, & deteriora auguratur, præcipit Chriſtus vt patrẽ rogemus, qui noſtræ infirmitati proſpiciat, nobiſq; pridie præbeat, quantum ſufficere poſſit poſtridie. Panis enim nomine, cibus omnis neceſſarius Hebraicè ſignificatur.

Id mirificè cum veteris Teſtamenti figura conſentit. Vt enim Exod. 16. Deus Iſraëliticum populum in ſolitudine Manna ſeptimo die colligere vetuit: ſed ne fame periret, ſexto die, qui dicitur παρασκευὴ, vel præparatio, duplam mẽſurã, quæ ad biduum ſatis eſſet, ſumere permiſit. Vt etiam Leui. 25. ſeptimo anno, quod eſt ſabbatũ ſabbathon Dei, agros ſeri, & vineas putari, ac denique terram coli vetuit: ſexto tamen anno tantam rerũ vbertatem pollicitus eſt, vt toto triennio affatim ali omnes poſſent. Vt poſtremo poſt ſeptimam annorum hebdomadem, cùm Iobilæus celebratur, quieſcere omnes iuſſit, terrámque coli, ac fructus ſua ſponte naſcentes legi interdixit.

interdixit. Tum eos omnes, qui ob æs alienum nexi ante Iobilæum fuerant, liberari: pauperes & obæratos, qui ſua bona vendiderant, in antiquas poſſeſſiones redire imperauit.

Sic fideles ſuos optat Chriſtus, dum mortale corpus circunferunt, quaſi ſabbatum quietis, & Iobilæum libertatis aſſiduè expectent, in paraſceue perpetua eſſe: vt poſtridie ſingulorum dierum quieſcendum eſſe ſperent: ne rerum futurarum cura à pietatis continenti meditatione auocentur. Quod etiam Pythagoras ſuo ſymbolo præcepit, τὰ σκεύη συνδεδεμένα ἔχειν: nempe vt ſemper ſarcinulas compoſitas habeamus. Rogèmus igitur omnes quotidie Patrem, vt noſtræ imbecillitatis miſertus, panẽ noſtrum craſtinum det nobis hodie: aliáque omnia Dei opt. max. prouidentiæ committentes, eum ſolùm ſperemus, qui Chriſti filii ſui meritis poſt diuturnam ſeruitutem, ærumnoſámque paupertatem, iam iámque aduentante Iobilæo, liberali nos aſſerat cauſa manu, atque in antiquam cæleſtis Ieruſalem mittat poſſeſſionem.

Precatio Dominica, quam Chriſtus ſuos docuit, lingua Syriaca fideliter expreſſa.

צְלוֹתָא דְאַלִּף בָּהּ יֵשׁוּעַ מְשִׁיחָא מָרָן לְתַלְמִידוֹי וּלְכָל־מְשִׁיחָאֵי ׃

אֲבוּנָן דְּבִשְׁמַיָּא יִתְקַדֵּשׁ שְׁמָךְ תֵּיתֵי מַלְכוּתָךְ תִּתְעֲבֵד רְעוּתָךְ הֵיכְמָא בִשְׁמַיָּא כֵּן בְּאַרְעָא לַחְמָן דִּמְחָר הַב לָן יוֹמָנָא וּשְׁבֻק לָן יָת חוֹבֵינָן הֵיכְמָא דְאַף אֲנַן נִשְׁבֻּק לְחַיָּבֵינָן וְלָא תְעַיֵּל יָתָן בְּנִסְיוֹנָא אֶלָּא פְּרֻק יָתָן מִן בִּישָׁא אֲרֵי דִידָךְ הִיא מַלְכוּתָא וּגְבוּרְתָּא וִיקָרָא לְעָלְמִין אָמֵן ׃

Abunán debiſmaiiá iithcaddés ſemách thethé malchuthách iithaabéd reuthach hechmá biſmaiiá qen bearaá lahmán dimhár háb lán iomána vſbúc lan iath hobenán hechmá deuph anán niſbúc lehaiiabenan, vela theaiiél iathã beniſioná, ellá pherúc iathan min biſá are didách hi malchuthá vgburthá vicará lealmín, Amen..

Salutatio Angelica Syriacé.

שְׁלָם לֵךְ מַרְיָם רְחִימְתָא יְהוָה עִמֵּךְ בְּרִיכְתָא אַתְּ בִּנְשֵׁי אֲרֵי אַתְּ יְלִדְתְּ יָת פָּרוֹקָא דְנַפְשָׁתָן ׃

Selám lec Mariám rehimthá, Adonái imméch, berichthá at binſé, aré at ielídth iath pharocá denaphſathán.

תְּהִלָּה לְאֵל חַי ׃





